COMMENTATIONES

EPICAE

SCRIPSIT

RICARDUS VOLKMANN.

LIPSIAE
T. O. WEIGEL.
1854.

V. CL.

CAROLO HENRICO VOLKMANN

OPTIMO PATRI

QUI PUERUM BONARUM ARTIUM AMORE INFLAMMAVIT

HUNC LIBELLUM

D. D.

RICARDUS FILIUS.

ἵνα κέν τοι ἀπὸ θρεπτήρια δοίην.

PRAEFATIO.

Ex quo primum consilium ortum est proponendi lectoribus, quae maximam partem superioribus annis, postquam otium meum iterata Graecorum poetarum epicorum imprimisque Homeri lectione consumere coepi, observasse et invenisse mihi videbar, iam uno volumine comprehensa: his quattuor commentationibus ab initio quintam addere placuit, de parvo illo carmine componendam, cui Colluthi poetae Lycopolitani nomen inscriptum legimus. Id enim maximas semper molestias mihi paravit. Etenim cum admirarer politam et nitidam versuum structuram, doctam sermonis elegantiam assidua praestantissimorum poetarum lectione nutriti, tamen argumenti tractationem ac stilum poeticum tam aegre ferebam, ut maximam doctrinam minimo cum ingenio in Colluthо tamquam in altero Nicandro coniunctam fuisse censerem, et praeclarum exemplum ab eo editum mihi videretur, poesin invita Minerva doctis intermixtam reduviis vanam esse et ad nugas tantummodo degenerare.

Mox autem Hermanni et Graefii disputationibus edoctus, temporum iniquitate factum esse ut lacunis hoc carmen miserrime foedatum sit, accuratius paullulum huic rei animum advertere coepi. Ac lacunarum numerum cum etiam maiorem esse intellegerem, quam qui ab his viris doctis statutus sit, iis de rebus in peculiari commentario, quo novam Colluthi recognitionem illustrare volebam, uberius disserere proposueram. Tamen certior factus, doctum esse iuvenem, cuius olim familiaritate gaudebam, eandem fere materiam prope diem tractaturum, statim susceptum intermisi laborem, et artioribus finibus meum libellum comprehendere malui, quam alienis studiis praepostera cura officere. Ceterum si quae insunt

his commentationibus, quae doctis benivolisque lectoribus non prorsus displiceant, in iis optimam egregii praeceptoris disciplinam facile agnoscent, cuius nomen palam professus essem, nisi iusta obstaret verecundia, quia ipse bene conscius sum, me non ad eum perfectionis gradum extulisse laborem, qui cum tam claro nomine ullo modo committi possit. Postremo leviora quaedam errata et menda typographica, quae ne circa vocabulorum maxime tenores versentur vereor, ut alienae potius quam meae socordiae tribuant, moneo lectores et oro. In pag. 27, versu extremo, pro naturalis legendum est mobilis.

Scribebam SEDINI die 23. mens. Aug.
MDCCCLIV.

INSUNT HUIC VOLUMINI.

COMMENTATIO PRIMA.

PARALIPOMENA METRICA SIVE DE VERSU GRAECORUM HEROICO OBSERVATIONES.

Metricorum veterum quae de versu heroico, quem Graeci praeterea metrum dactylicum, Pythicum, hexametrum et ἔπος κατ᾽ ἐξοχὴν vocant, feruntur praecepta, pauca sunt numero et exigui pretii, quoniam universas tantum huius metri et externas ut ita dicam leges spectant, neque vero ad eas valent indicandas mutationes, quas longo seculorum decursu a variis praestantissimisque poetis passum est. Raro praeterea iustam et bonam illarum legum caussam reddunt et rationem. Neque hoc mirum videtur reputanti, ea quae grammatici veteres in re metrica praestiterint, cum studiis eorundem vere grammaticis iisque disquisitionibus, quas de vocabulorum significatu et historia diligenter instituerint, omnino vix posse comparari.

Etenim paucissima illa quae de versu heroico exposuit Hephaestio Alexandrinus, neque iis superantur, quae ad illustrandam eius sententiam congesserunt scholiastae, neque claram lucem ex Aristide Quintiliano, neque ex iis accipiunt, quae Graecis auctoribus hac de re Latinorum Terentianus Maurus et Diomedes disputaverunt. Et spernenda quidem non sunt ea, quae in Eustathii commentariis et scholiis in Iliadem Venetis hic illic sparsa invenias, tamen eiusmodi ut, vel in unum omnibus his copiis congestis, vix alia invenias, quam quae prae recentiorum super hac re laboribus exilia videantur necesse sit.

Nam versum heroicum metrum esse discimus senorum pedum dactylicum, per monopodias distinctum, catalecticum in bisyllabum, in cuius quinque prioribus pedibus spondei cum dactylis alternari possunt: ac si versus e meris constat dactylis, ἔπος ὁλοδάκτυλον sive πηδητικὸν, sin e meris spondeis ἔπος ὁλοσπόνδειον nominatur. Ii versus, in quibus binos dactylos bini excipiunt spondei, στίχοι κατενόπλιοι vocantur. Singuli dactyli singulis alternantes spondeis στίχῳ περιοδικῷ nomen dederunt atque ea denique versuum forma, ex qua primo et ultimo in pede spondei leguntur, Sapphica dicitur. Et holodactylos quidem versus, unde alterum quoque nomen πηδητικῶν traxerunt, non minus quam holospondeos

consulto plerumque in variis depingendis affectibus a poetis usurpatos esse censebant grammatici. Itaque laudatur notissimus ille Odysseae versus

τὼ δ' ἐν Μεσσήνῃ ξυμβλήτην ἀλλήλοιϊν

distinctis verbis in scholiis utpote *ὁλοσπόνδειος, καὶ τῷ στασίμῳ τοῦ μέτρου ἐξομοιούμενος τῇ στάσει τῶν συναντώντων ἀλλήλοις κατὰ φιλίαν.*

Iam vero apertum est, ea de quibus secundum veteres hucusque exposuimus praecepta ad interiores versus heroici rationes vere metricas non magis accedere, quam mira illa nomina artis, *προκοίλιος, λαγαρὸς, σφηκοειδὴς, ἀκέφαλος, μείουρος* aliaque id genus, quae vitiosis quibusdam apud Homerum imposita sunt versibus, quorum certa in sede breves syllabae producuntur aut una brevis abundans per synizesin quam dicunt et synecphonesin evanescit. Itaque in iis tantum paullo diutius subsistendum est quae de caesuris nobis sunt tradita. Unusquisque enim versus hexameter dactylicus, catalecticus in bisyllabum, accedente demum caesura, qua in duo dirimitur commata, versus heroicus fit, de quo distincte Marius Victorinus p. 2508 Ptsch. ita praecepit: 'sex enim pedum percussio versum quidem hexametrum, non tamen heroum, quem epicum, si legem incisionis non tenuerit, faciet.' Quid sit caesura sive incisio, docet Arist. Quintil. p. 52 M. '*τομὴ δέ ἐστι μόριον μέτρου τὸ πρῶτον ἐν αὐτῷ λόγον ἀπαρτίζον, ὑπὲρ δύω πόδας εἰς ἀνόμοια μέρη διαιροῦν τὸ μέτρον*', quem locum, qui nescio quo casu recentiorum plerosque fugit, Geppertus illustravit in eo libro, quem contra Hermannum germanice scripsit, p. 27. Ipsa igitur caesurae natura in eo conspicitur, quod principali versus heroici numero dactylico, quem per vim quasi in duas impares partes dirimit, dactylicam alteram, alteram anapaesticam, quodammodo contraria est. Quae cum tertio tantum et quarto in pede locum habeat, a plerisque Graecorum metricis, tria eius enumerantur genera, penthemimeres, quae nobis semiquinaria, hephthemimeres, quae semiseptenaria dicitur, et tertia caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* facta. Quae quibus legibus a poetis adhiberi debeant, non tradunt quidem, quamquam priorem pro potiore et vera caesura habuisse videntur. Aristides Quintilianus demum l. l. et metrici Latini quartam iis subiiciunt caesuram post quartum trochaeum factam interdum, cuius exemplum in hoc versu proposuerunt M. Victor l. l. Terent Maur. p. 2419:

quae pax longa remiserat arma novare parabant.

Atque alia caesurarum genera a praestantioribus metricis commemorari non memini. Has autem saepe in uno versu coniunctas esse dicunt, ita ut ii versus quibus ne una quidem earum insit, uno omnium ore damnentur. Attamen latiore quoque sensu caesurae notionem a metricis acceptam fuisse, vel ex Aristidis verbis modo laudatis

apparet, cui illae caesurae *τομαὶ εὐπρεπεῖς* vocantur. Quid mirum igitur si scholiastae interdum, veluti Schol. Ven. Il. I. 356, eam produnt caesurae notionem, qua vocis alicuius in ipso versu sit finis, de qua post Hermannum inter nostrates reapse omnes, nomine permultos consentientes habeam, adeoque eam cum diaeresi confundunt? Haec enim, si Aristidem sequimur, a caesura ita differt, ut versum in *μέρη ὅμοια* secundum rhythmum, non in *μέρη ἀνόμοια* contra rhythmum dirimat. Itaque incisionem saepissime post quartum pedem factam, esse diaeresin, non caesuram. Hoc autem cum unicum sit diaeresis exemplum ab Aristide commemoratum, dubium est, num omnino diaeresis locum habeat, quoties ordines rhythmici claudantur una cum ordinibus metricis, h. e. vocabula una cum pedibus, utrum incisio post tertium dactylum facta diaeresis sit, necne. Ceterum illi diaeresi post quartum dactylum a metricis tetrapodiae bucolicae nomen impositum esse constat, quia in unoquoque paene Theocriti et bucolicorum versu invenitur. Cf. Diom. p. 496. Ter. Maur. p. 2430. Intpp. Theocr. laudati a Gaisfordio in Hephaest. p. 294. In universum vero illicitum videbatur veteribus grammaticis, sine dubio Alexandrinis, nam *οἱ παλαιοὶ* allegantur ab Eustathio, pedem claudi una cum vocabulo. Cf. Eust. in Il. p. 740 in. = 635, 32. Dicebant enim, *ὅτι τὸ μέτρον χαίρει μὲν συνδεσμεῖσθαι τοὺς πόδας ἀλλήλοις, ὡς κατὰ μηδὲν* (l. *μηδένα*) *εἰς μέρος ἀπαρτίζειν λόγου, οἷον*

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσε.

Atque pergit Eustathius: *παραιτεῖται δὲ ὥσπερ τὸ κατὰ πόδα τέμνεσθαι, οἷον*

Ὕβριος εἵνεκα τῆσδε, σὺ δ' ἴσχεο, πείθεο δ' ἡμῖν

ἔνθα καθ' ἕνα ἕκαστον πόδα καὶ μέρος λόγου ἀπαρτίζεται, οὕτω καὶ τὴν δίχα τομήν, ἤγουν τὴν εἰς δύο ἐννοίας, ὡς τὸ

ἔνθ' οὔτ' Ἰδομενεὺς τλῆ μίμνειν, οὔτ' Ἀγαμέμνων

οὕτω δὲ καὶ τὴν τριχῆ καὶ ἐπὶ πλεῖον διαίρεσιν ῥυθμικὰ γάρ φασι ταῦτα, ἢ μετρικά κτλ. ubi saltem legi debet *οὐ μετρικά.* Atque iam antea dixerat, fuisse quosdam veterum quibus versus

ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα
αἴθωνας δὲ λέβητας ἐείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους

minus placuerint *διὰ τὴν εἰς ἀνὰ δύο ἐννοίας τομήν.* Mitto nunc accuratius persequi hoc Eustathii commentum, ad quod infra erit occasio revertendi in illustranda versus heroici interpunctione, et hoc potius statuo, certe non alienos fuisse uberrimos illos Aristophanis Aristarchique commentarios ab eiusmodi observationibus, quibus nostrates tam felici successu versus heroici naturam in secreta usque et intima quasi penetralia illustraverunt, earumque iacturam per temporum iniquitatem factam, valde esse dolendam.

Etenim historiae heroici versus ut primum ab Hermanno iacta sunt fundamenta, immortali illa dissertatione, quam de aetate Orphicorum scripsit, Spitznerus et qui nuper eum longe superavit Hoffmannus, de versu Homerico accuratissime exposuerunt. De recentiorum epicorum usu quaesiverunt Wernickius, Struvius, Lehrsius, quorum opera factum est ut iam inter omnes constet, quam anxie is, qui eorum agmen ducit, poeta Panopolitanus, versus suos ad subtilissima praecepta et regulas elaboraverit. De metrica Quinti ratione a Nonniana non nimis diversa, optime Arminius Koechly disputavit in prolegomenis, quibus nuperam huius poetae editionem instruxit. Et vulgaris quidem ea est opinio, metricam carminis heroici faciem a Nonno prorsus esse immutatam eiusque sectatoribus, Tryphiodoro, Musaeo, Collutho, Christodoro, Ioanne Gazaeo, reliquis. Qui tamen omnes, sicut in elocutione mirum quantum a poetis Alexandrinis, eorumque praestantissimis Callimacho et Apollonio Rhodio pendent, etiam metrica illa diligentia poetarum Alexandrinorum secuti sunt auctoritatem. Nam horum quoque versus ad subtilia praecepta sunt artificiose compositi. Itaque si ab Homeri inde carminibus omnium poetarum epicorum versus et numeros continuo seculorum decursu inter se comparare velis, facile hoc effici poterit, eam metri heroici immutationem quam in Nonni secta miramur, non ab ipsa subito esse inventam, sed diu a poetis Alexandrinis et qui inter hos et Nonni intercedunt aetatem, esse praeparatam. Etenim hi primi correptiones Atticas, pravas caesuras, frequentem spondeorum usum, magnum hiatuum numerum, trochaeos in versuum clausulis aliaque id genus aut vitaverunt, aut certis adstrixerunt legibus et regulis. Quorum rationes Nonnus, ut qui fervidioris esset ingenii, consummavit tantum, ut ita dicam, et severe executus est. Praeterea novavit quoque, sed pauca.

Quod quominus iam ab aliis ex singulorum poetarum usu satis probatum et demonstratum sit, illud puto obfuit, quod metricae poetarum Alexandrinorum rationes virorum doctorum ingenia nondum ita exercuerunt, quam grammaticae et quae de vocabulorum delectu et formatione sunt quaestiones. Gerhardius quam bene in lectionibus Apollonianis hac de re disputaverit, non meum est dicere. Minores quidem observationes, sed optimae notae protulerunt Naekius, Heckerus Batavus, Otto Schneiderus. Singulari diligentia, ut de ipso taceam Hermanno, hanc rem pertractaverunt Merkelius, Arminius Koechly. Tamen consummatam et quasi ad umbilicum perductam esse quaestionem quominus statuamus, multa obstant. Atque tantorum virorum diligentia cum hoc certe effectum sit, ut accuratiore studio has quaestiones indignas esse, iam nemo censeat, nobis quoque non inutile visum est, eorum observationibus undique in unum collectis, rem iterum pertractare, et novas quasdam proponere

virorum doctorum communi iudicio, quas ab aliis aut omnino neglectas, aut minus bene factas esse vidimus. Inde Paralipomena metrica inscriptum est nostro libello. Iam vero rem ipsam aggrediamur.

CAPUT PRIMUM.

DE CAESURIS ET ORDINIBUS METRICIS.

Cum omnes longiores versus, tum versus heroicos, ne primaria illa et praestantissima artis metricae lex violetur, quae in metrorum unitate scite temperanda et varianda constat, incisionem aliquam efflagitare mediam per ordinis metrici finem constitutam, qua in duas dirimantur partes non pares sed impares, ne languida eorundem rhythmorum iteratio audientium aures offendat, neve in illud ipsum vitium iterum incidat versus, cui vitando incisio illa, sive caesura adsciscebatur, iam veteres perspexerant grammatici, quorum sententias hac de re prolatas, supra recensui. Atque apertum est, duas illas versuum partes per primariam caesuram ita constitutas, iterum novis caesuris in minores quasdam particulas dirimi posse, ita quidem, ut si hoc fiat, maiorem inde gratiam et volubilitatem versus ipse accipiat, sin minus, non tamen omni gratia eam ob caussam destitutus videatur. Itaque una illa caesura necessaria est in unoquoque versu, eamque metricam vocare liceat: aliae non sunt necessariae ex metri ratione, sed ipsa plerumque ordinum natura suppeditatae ideoque naturales a nobis dicantur: quae cum speciose interdum usurpari possint, et venuste ad numerum, per se puto apertum est, in utriusque generis caesuris recte et prudenter consociandis, artem et ingenium probari posse a poetis quam maxime, cuius rei perfectum et absolutum exemplar tot egregii Homericorum carminum versus exhibent. Haec autem, cum aurium potissimum sint blandimenta, quae magis interiore aliquo venustatis sensu percipi possunt, quam verbis distincte exponi et certis quibusdam legibus adstringi, ne argutior fiat disputatio mea et ad merum arbitrium redire videatur, certe in hoc libello, in quo de praestantioribus tantum versus heroici legibus disputandum est, accuratius exponere non possum.

Iam vero, si hi duo versus Homerici inter se conferuntur, qui Iliadis et Odysseae leguntur in initiis,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληιάδεω Ἀχιλῆος

et *Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλά.*

quorum ille masculina, quam dicimus, hic feminina caesura instructus est,

apertum esse censeo, quietiorem numerum, ideoque aequabiliorem et suaviorem, hunc Odysseae versum exhibere. Contra mascula illa caesura, post arsin facta, numerus impetuosa quadam vehementia concutitur, et cum secundo in versu etiam post caesuram numerus dactylicus maneat, vel anapaesti per basin quandam priori parti annexi videantur, in Iliadis versu numerus prorsus immutatur, et subito a dactylis ad anapaestos factus est transitus.

Atqui apertum est moderatam numerorum quietem, et suavem aequabilitatem, magis cum ipsa poesis epicae natura convenire, utpote quae res gestas quasi in longa tabula depictas lectoribus proponat, quam concitatum metrorum cursum. Unde illud puto sequitur, primariam versus heroici caesuram eam esse quam post tertium trochaeum factam, femininam dicimus. Atque hoc re vera ita esse facile is intelliget qui Graecorum carmina epica accuratius examinare velit. Itaque magis ea probo, quae apud Hoffmannum leguntur, quaestt. Homer. I. p. 12 et distinctius etiam iam a Spitznero prolata sunt, de versu her. p. 5. 6, quam quae in contrariam partem Hermannus disputavit, diss. de Orph. p. 692. Elem. doctr. metr. p. 336. 337. Dicit autem Hoffmannus: 'Differt quidem Homericus versus ita ab Horatiano et Virgiliano, ut apud Latinos poetas inter denos versus semiquinaria caesura distineantur noveni, multoque rarius mollior illa caesura reperiatur; contra apud Homerum utraque caesura fere pari numero legatur, sed paullo saepius caesura trochaica: et apparet vel ex hac versuum compositione carminum Homericorum quies et lenitas'. Porro hoc quoque iam apud antiquissimos poetas observasse mihi videor eorum versuum, quorum ordines caesuram trochaicam non admittebant, caesuram masculam aliis quibusdam caesuris naturalibus certa in sede auxilio vocatis esse debilitatam, semiseptenariam caesura semiquinaria, hanc aut illa aut semiternaria praecedente. Nam si duae caesurae masculae ita se excipiunt, ut auditores ad diversas versuum partes animum advertere debeant, minus moleste in singulis locis graviorem numeri turbationem percipient. At cum ordinum natura non semper ea sit, ut caesurae ea qua diximus ratione constitui possint, in eo saepissime acquieverunt poetae ut semiquinariae aliam subiicerent caesuram post quartum dactylum, qua fit ut continuatio dactylici numeri, turbata aliquantum per caesuram, iam in fine versus accurate et graviter restituatur. Nam rectissime Hoffmannus 'etenim' inquit 'cum heroici versus fundamentum sit numerus dactylicus, id ante omnia erat opus, ut aliis in hunc versum illatis numeris, ad fundamentum suum dactylicum sensim versus rediret. Hoc fit in versus fine. Qua ex re efficitur, quod non vidisse viros doctos miror, ut quartus pes decurrat tam saepe ad caesuram dactylicam'. Et in pag. 16: 'excipit ea (caesura bucolica) saepissime et caesuram semiquinariam et

tertii pedis trochaicam; nec raro sequitur semiseptenariam, cuius vim minuit'.

Omnino autem apud Homerum et Hesiodum, ii versus, qui sola semiquinaria aut semiseptenaria distineantur, rari sunt. Vitantur iidem apud poetas Alexandrinos, prorsus illiciti sunt Nonno eiusque sectatoribus, ita ut apud hos in carminibus proprie epicis, ne unum quidem invenerim exemplum. Contra apud Alexandrinorum antiquissimum poetam, Aratum, qui non ea severitate in componendis versibus usus est, qua Callimachus et qui ab hoc metricam disciplinam acceperunt, paullo frequentius extant. Nam habes semiquinariam v. 40. 106. 144. 190. 207. 426. 712. 793. 900. 903. 916. 958, semiseptenariam v. 201. 263. 398. 494. 502. 547. 770. 804. 973. Apud Callimachum semiseptenariam solam non inveni, semiquinariam solam in his versibus: Hymn. Iov. 36. h. Apoll. 28. h. Dian. 262. h. Cer. 92. 119 et, puto, in eiusdem hymni versu quinto. In Nicandri versibus semiquinariam non inveni, nisi ubi aut facili aliqua medela tolli possit, aut graviore corruptela locus videatur afflictus esse, de quo exposui in dissertatione de Nicandro p. 25. Eodem loco de caesura semiseptenaria apud Nicandrum rarissima dictum est. Itaque vix puto hanc ipsam ob caussam probandam esse eam scripturam, quae olim de corruptissimo Georgicorum fragmento in mentem venit, quod apud Athenaeum extat IX. p. 359 b. IV, 133 d:

γογγυλίδας σπείροις δὲ κυλινδρωτῆς ἐφ᾽ ἅλωος
ὄφρ᾽ ἂν ἴσαι πλαθάνοισι χαμηλότεραι θαλέθωσι.

in cuius primo versu molestum est *δὲ* post secundum enuntiati verbum conlocatum: non quasi hoc per se apud Nicandrum ferri non possit eiusque aequales, quod video Hermannum statuisse, dissert. de Orph. p. 820, conferantur enim eiusdem fragmenti v. 20: *βλάστα δρέπου δὲ,* Alex. 133. 452: *δή ποτε δ᾽ ἤ*, Ther. 683: *ἧκα βιησάμενος διὰ δὲ στόμα*, Alex. 226: *σάρκα μελαινομένην πικρὸς δ᾽ ὑποβόσκεται ὕδρωψ*, Alex. 247: *κολλυβάτειαν ἑλὼν τροχαλῷ δ᾽ ἐνι λίγδῳ*, Apollon. Rhod. I, 741: *δὶς τόσση δὲ*, II, 892: *κατ᾽ αὐτόθι δὲ*, 619: *τὸν ξεῖνον δ᾽*, IV, 271: *ἅλις προχοαῖσι δ᾽*, 606: *εὖτ᾽ ἂν κλύζῃσι*, Arat. 815: *ταὶ δύο δ᾽ ἄν*: quae cum ita sint neque dubito coniecturam proponere de Nicandr. Alex. v. 21, ubi quae vulgo leguntur:

ἣν κραδίην ἐπιδόρπιον, οἱ δὲ δοχαίην
κλείουσι στομάχοιο·

h. e. quam alii *κραδ. ἐπιδ.*, alii *κραδ. δοχαίην* nuncupant, falsa sunt. Graecis enim medicis inter appellationes artis fuisse *κρ. ἐπιδ.* et *κρ. δοχ.* nusquam traditum est: dein *ἐπιδόρπιος* i. e. ad secundam mensam, vel ad cibos pertinens, quomodo *κραδίη* vocari potest? Itaque conicio:

τεύχεος, ἣν κραδίην, ἐπιδόρπιον οἱ δὲ δοχεῖον

quae emendatio certissima videtur collatis scholiis: ἣν οἱ μὲν κραδίην καλοῦσιν, οἱ δὲ δοχεῖον τῶν ἐντέρων τῆς βρώσεως κτλ. Sed ut redeam unde egressus sum, apertum est in Nicandri versu supra allato vocabulum γογγυλίδας alii substantivo opponi, non vero σπείρειν verbum alii verbo. Itaque scribendum esse censerem:

γογγυλίδας δὲ κυλινδρωτῆς σπείροις ἐφ᾽ ἄλωος,

nisi ut modo dixi propter caesuram hoc ipsum displiceret.

Sed de his hactenus. Supra autem expositum est iam apud Homerum plerumque dactylicum numerum eorum versuum qui semiquinaria instructi sint, ipsorum in fine restitui per caesuram dactylicam. Atque idem in Alexandrinos cadit poetas, qui ambas caesuras fere semper coniunxerunt, et tum demum ubi hoc fieri non potuit, semiquinariae vim per semiseptenariam imminuerunt. Iam vero si ii versus, in quibus semiquinariam praeter semiseptenariam etiam dactylica sequitur, priori adnumerantur generi, id quod plerumque non modo fieri potest, sed prorsus necessarium videtur, apud poetas Alexandrinos caesurarum ea erit ratio, ut principalis sit caesura trochaica, secundum locum obtineat semiquinaria cum dactylica, tertium et paene infimum semiquinaria per semiseptenariam labefactata: sin vero alteri generi adnumerantur hi versus, ea est ratio, qualem in dissertatione de Orac. Sibyll. p. 3 descripsi, non falsam quidem sed minus accuratam.

Hunc autem Alexandrinorum usum Nonnus tanta severitate consummavit, ut e 534 versibus quos Dionysiacorum liber primus continet, 439 trochaicam habeant caesuram, 78 semiquinariam cum caesura post quartum pedem, 17 tantum, si recte computationes meas exegi, semiquinariam cum semiseptenaria. Liber secundus 712 versus continet, e quibus trochaeum in tertio pede 586 exhibent, 78 semiquinariam cum bucolica caesura: accedunt 18 versus, quorum idem est numerus qui v. 153:

εἴην Ἡλιάδων ‖ καὶ ἐγὼ | μία· ‖ πυκνὰ δὲ πέμψω.

Triginta versus, qui supersunt, semiquinariam habent sequente caesura post arsin quarti pedis.

Naturales caesuras quod adtinet, etiam in earum usu subtilissimum fuit Nonni ingenium. Ac primum quidem caesurae trochaicae frequentes sunt in pedibus imparibus, primo et quinto praeter tertium. Nam primo in pede trochaeum tum demum vitasse videtur, si sextum quoque hexametri locum obtinebat, quamquam hoc non adeo pro lege habuit, ut non multi inveniantur versus contrarii, velut I, 65. 70. 119. 223. 313. 338. 480. 490. 516. Puto tamen eo valere hanc observationem ut ne temere coniectando hanc caesuram inferamus in Nonnum. De vitiosa interpunctione post quintum trochaeum infra dicetur. Contra rari sunt trochaei in pedibus paribus, sexto, quod in quaestione de versuum clausula pertractabi-

mus, secundo, quarto. Sane vero aliqua venia trochaeo secundo in pede condonanda est, si in primo dactylus praecessit, et in tertio vel quarto sequitur interpunctio, velut I, 7. 9. 15. 17. 48 rell. Rarius invenitur trochaeus post spondeum (I, 90. 123. 184. 211. 217. 238. 300) vel molossum (II, 396. 572), rarissime ita ut unum efficiat vocabulum quadrisyllabum, molossum scilicet una brevi abundantem, velut II, 655:

χαιτήεντα λέοντα παρὰ σταχυώδεϊ κούρῃ —

XV, 142: *ὠμηστῆρα, νόῳ βεβαρημένον, Ἰνδὸν ἀείρων.*

et qui proxime accedit XIV, 372: *καὶ τυφλοῖσι πόδεσσι,* ubi melius fortasse legeretur *τυφλοῖσιν δὲ πόδεσσι.* Admodum ingratus est XV, 299: *Δάφνη καὶ σὺ φίλη,* qui paullo venustior fit inverso vocabulorum ordine ita: *καὶ Δάφνη σὺ φίλη.* Ceterum hanc puto eam esse caesuram, quam iam apud Homerum rarissime inveniri veteres observaverant grammatici. Cf. Il. *Α*, 356:

ἠτίμησεν· ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας, αὐτὸς ἀπούρας

ubi Schol. Ven.: *ὅτι τῶν πάνυ σπανίων ἡ τομὴ κατὰ τὸν ἕβδομον χρόνον.* Caesuram post quartum trochaeum factam, vitiosam apud Alexandrinos, v. Naek. Callim. Hecal. p. 32, quam anxie vitaverit Nonnus, iam dictum est ab Hermanno: eamque ita tantum usurpatum inveni, ut praecedente maiore aliqua interpunctione, hac in versus sede particulam *δὲ* sequatur enclitica monosyllaba, quo fit ut trochaeus iste oculis quidem cernatur, nunquam vero audientium animos offendat, velut:

I, 57: *ἀστεμφής, ἀδίαντος. ἰδὼν δέ μιν ἦ τάχα φαίης*
75: *νηχομένης μίμημα. φέρων δέ μιν ἄβροχον ἅλμης*
301: *ἠρέμα βομβήσασα. μόγις δέ οἱ, ἠέρος αὐχμῷ.*

v. 395. 419. II, 246. 570. 709. III, 140. 167. 412. 423. IV, 250. X, 12. Nec multum distant:

III, 222: *θάμβεεν ἀνέρος εἶδος, ἐπεί νύ οἱ ἔμφυτος ἥβη*
I, 475: *δώσω σοὶ τόδε δῶρον· ἐγὼ δ᾽ ἐς Ὄλυμπον ὁδεύσω.*
II, 40: *ἠιόνες, σείοντο μυχοὶ καὶ ὀλίσθανον ὄχθαι*

et qui similes sunt II, 180. III, 228, alii.

Caesuras sive diaereses dactylicas post primum, quartum et quintum pedem Nonnus non magis vitavit quam poetae Alexandrini. Parcius admisit caesuram dactylicam post secundum pedem. Post tertium autem dactylum, post pronomina tantum et particulas relativas, post articulum, coniunctionem *καὶ* et praepositiones, et cum ii quoque versus, de quibus hoc non valet, tamen hac in sede eiusmodi exhibeant vocabula, quae alio quodam vinculo, sive syntactico, sive ex praecedente aut sequente interpunctione petito, artissime inter se cohaerent, velut in primi libri v. 100: *οὐ βοΐ χερσαίῳ τύπον εἴκελον,* v. 117: *ναυτίλος ἀγρονόμος, πλόος αὔλακες,* v. 227: *αἰθέρα βακχεύων, στρατὸς αἰόλος,*

v. 385. 387. 389. 424. 444, iam puto negari vix poterit, veras pausas et diaereses ex hac versus sede a Nonno diligenter esse expulsas. Itaque III, 106:

θερμὸς Ἔρως καλέει σε, τί, νυμφίε, νωθρὸς ὁδεύεις;

deleatur virgula post *τί*, inutilis et molesta.

Caesura post arsin quinti pedis admodum frequens est in Nonni versibus. Hanc autem si vocabulum ionicae vel paeonicae mensurae in versus clausula sequitur, eam sibi legem imposuit, ut quod praecedit vocabulum aut sit quadrisyllabum, aut longius etiam, cf. I, 12. 25. 38. 59. 106. 123. 200. 336. 354. 397 cett., raro anapaesticae mensurae trisyllabum: I, 407. II, 179. IV, 118. V, 80. VI, 350. VII, 121. VIII, 159. 331. X, 132. 294 cett., nam in eiusmodi versibus, qualis libri primi est v. 87:

οὐ πόθον ἔσβεσε πόντος, ὅτι βρυχίην Ἀφροδίτην

et v. 132: *ἅρπαγι καὶ πλωτῆρι καὶ ὡς δοκέω παρακοίτῃ*

cf. II, 343. 482. 603. 642 cett. duo illa vocabula, quae ionicae clausulae praecedunt, pro uno habenda sunt. Contra in II, 572. 665. III, 275. 326. 444 cett., illud quod penultimum locum obtinuit vocabulum, a clausula ipsa non est seiungendum. Praeterea pauci tantum inveniuntur versus huic legi contrarii, velut VIII, 121: *ἐν μὲν ἐπικλοπίῃ πολυμήχανος, ἐν δ' ὀαριστύς.* X, 213: *γινώσκω τεὸν αἷμα, καὶ εἰ κρύπτειν μενεαίνεις.* Sed in his quoque Nonnus poetarum Alexandrinorum secutus est auctoritatem: etenim ad omnes eorum ea spectant quae Naekius ad Hec. p. 157 de uno observavit Callimacho: nam omnes, ubi versum hexametrum ionico concludunt, diligenter curant, ut quod praecedit vocabulum, aut monosyllabum sit cum ipsa clausula artissime coniunctum (Arat. 56. 83. 203. Nic. Alex. 41. 108. Ther. 580), aut spondei mensuram ut excedat, et sit trisyllabum, molossus (Nic. Al. 616. Ther. 586) quamquam hoc rarum est, tetrasyllabum, choriambus, vel etiam quod saepe fit longius (Arat. 29. 43. 72. Nic. Al. 48. 345. Ther. 290. 564. 940). Rarum est eo in loco vocabulum anapaesticum (Callim. h. Iov. 36. 94. h. Del. 43. 311. Arat. 31. 123. 212. Nic. Ther. 582), raro bisyllabum (Callim. h. Del. 291. Arat. 35. Nic. Ther. 894). Ut ad Nonnum revertar, eam denique caesuram, quae post sextam arsin esse potest, adeoque versuum clausulam monosyllabam, non magis vitavit quam poetae Alexandrini: etenim saepissime *δὲ* et *γὰρ* hoc in loco inveniuntur et alia quoque vocabula, quae vero non sine consilio quodam ita a poeta collocata esse censeo. Cf. I, 46. 434, *Ζεύς*. 50. 94. 100. 322, *βοῦς*. 74, *χείρ*. 304, *πῦρ*. 368, *Πάν*. Semper vero vocabulum choriambicum praecedat necesse est, et interpunctio ante choriambum, si *δὲ* et *γὰρ* in fine sunt posita. Cui legi non contrarii sunt I, 347. II, 348. 567. III, 121. X, 403. Duo vero vocabula monosyllaba versum claudere non possunt.

CAPUT SECUNDUM.

DE ORDINIBUS METRICIS.

Praeterea a caesuris metricis earumque ratione pendent etiam ordines metrici, quorum tres in unoquoque versu extare scimus, quibus recte constituendis Apollonium imprimis operam dedisse, Merkelius dixit in prolegg. ed. min. p. XIV, ubi haec eius sunt verba: 'uniuscuiusque versus tres sunt ordines, binis caesuris distincti: ordines sunt senorum, octonorum aut denorum temporum: quorum quivis aut dactylico aut anapaestico numero usu venit' et paullo post: 'pars ea versus, quae ab hephthemimeri ad quartum usque pedem decurrit, senorum aut post trochaeum quinorum pedum, expletur legitime uno vocabulo'.

Itaque si versus trochaica caesura instructus erat, epicae gravitati consentaneum videbatur, ut maior eam ordo exciperet, plerumque ◡ – ◡ ◡, usque ad tetrapodiam bucolicam, velut:

I, 4: *χρύσειον μετα κῶας ‖ εὔζυγον | ἤλασαν Ἀργώ*

14: *ῥέζε θεοῖς· Ἥρης δὲ ‖ Πελασγίδος | οὐκ ἀλέγιζεν.*

quem numerum, si eiusmodi quoque versus, qualis v. 2. 10. 20. 148. 308 hic referuntur, quibus proxime accedunt v. 357. 390. 470. 505. 508. 511, omnino 349 versus exhibent e primo Argonauticorum libro. Potest etiam ordo usque ad arsin quinti pedis continuari, velut

v. 1: *ἀρχόμενός σέο, Φοῖβε ‖ παλαιγενέων | κλέα φωτῶν.*

3: *κυανέας βασιλῆος ‖ ἐφημοσύνῃ | Πελίαο.*

cuiusmodi 137 versus in eodem libro inveni, siquidem huc pertinent v. 1342, et 656. 766. 1103, quoniam ut apud Homerum etiam apud Apollonium interdum caesura non tollitur elisione. Neque minus saepe trochaeum quinti pedis amplectitur ordo, velut

v. 7: *δημόθεν οἰοπέδιλον ‖ ὑπ' ἐννεσίῃσι | δαμῆναι.*

13: *εἰλαπίνης, ἣν πατρὶ ‖ Ποσειδάωνι | καὶ ἄλλοις*

quo referantur etiam v. 556. 500. 538. 549. 566. 950. 1144. Contra pauci sunt versus, in quibus hic ordo usque ad finem quinti pedis pertinet, velut v. 180. 299. 1175. 1348:

αὖτις ἰὼν πονέεσθαι· ‖ ἐπηπείλησε δὲ | γαῖαν.

Neque hi versus saepe extant, in quibus secundus ordo post caesuram trochaicam bacchius est. Cf. v. 60. 72. 186. 271. 519. 542. 555. 774. 1012. 1143. 1187. 1200. 1282. 1288. 1297, quibus dubitanter addo v. 276. 1212. Tales versus me apud Callimachum legisse non memini: ex Arato notavi v. 38.

Contra admodum rari ii sunt versus, in quibus minor ordo trochaicam

sequitur caesuram. Nempe apertum est v. 9: κιὼν διὰ ποσσὶν huc non pertinere, neque v. 18. 32. 38, aliosque id genus, qui hyphen exhibent, praesertim interpunctione firmatum, v. 614. 618. Pauci qui supersunt aut nominibus propriis excusantur, v. 40. 52. 89. 164. 179, aut interpunctione versuum sive in medio sive in fine posita, qua fit ut ordo secundus artius sequenti iungatur, et ipse paene evanescat, velut v. 43. 76. 82. 104. 132.

Sin vero masculam caesuram habet versus, hic quoque proximus ordo aut μονορηματικῶς, aut duobus vocabulis per hyphen vel interpunctionem coniunctis, usque ad quartum dactylum plerumque continuatur. Exemplo sint

v. 5: τοίην γὰρ Πελίης ‖ φάτιν ἔκλυεν, | ὥς μιν ὀπίσσω.

6: μοῖρα μένει στυγερή, ‖ τοῦδ' ἀνέρος | ὅντιν' ἴδοιτο

12: ἵκετο δ' ἐς Πελίην ‖ αὐτοσχεδὸν | ἀντιβολήσων.

Rarius ordo iam semiseptenaria clauditur, quae saepe auri tantum inservit minuendae semiquinariae caussa, dum ordo re vera maior est, velut

v. 8: δηρὸν δ' οὐ μετέπειτ' ‖ ἐτεὴν | κατὰ, βάξιν ‖ Ἰήσων.

Interdum quoque interpunctione facta proxima verba propius ad semiseptenariam accedunt, quemadmodum v. 19. 27. 42. 50 cett.

Sed longum est hanc de metricis ordinibus quaestionem per tot versuum millia singillatim persequi, cum reliquorum poetarum lectione vel obiter instituta appareat, eos quoque ab hac Apollonii norma non esse alienos. Etenim de Callimachi versibus hoc tantum monendum est, paullo saepius secundum ordinem e duobus constare vocabulis, aut per hyphen coniunctis, aut quorum alterum vel encliticum, vel procliticum sit. Itaque ad arsin quinti pedis secundus pertinet ordo Hymn. Iov. 20:

Ἀρκαδίῃ· μέλλεν δὲ ‖ μάλ' εὔυδρος | καλέεσθαι.

39: Καυκώνων πολίεθρον, ‖ ὃ Λέπρειον | πεφάτισται

usque ad quintum trochaeum ibid. v. 1:

Ζηνὸς ἔοι τί κεν ἄλλο ‖ παρὰ σπονδῇσιν | ἀείδειν

17: λύματα χυτλώσαιτο, ‖ τεὸν δ' ἐνὶ χρῶτα | λοέσσαι.

23: ἤειρεν, πολλὰς δὲ ‖ Μέλας ὤχησεν | ἁμάξας.

Potest etiam secundi ordinis unitas in eo posita esse, ut cum prius eius vocabulum proprie ad primum ordinem pertineat, reliqua propius ad caesuram accedant, velut h. Iov. 69:

σῶν τεράων· ἅτ' ἐμοῖσι ‖ φίλοις ἐνδέξια φαίνοις

et si iis quoque versibus maiorem ordinem inesse dixeris, pauci supersunt, in quibus re vera iam semiseptenaria claudatur, velut h. Iov. 24. 59. 78. 80. h. Apoll. 13. 63. 66. 89. 90. h. Dian. 25. 27. Neque frequentes ii sunt versus quorum ordo usque ad thesin quinti pedis continuatur, quemadmodum h. Iov. 21. 40. h. Apoll. 71. 90. 102. h. Dian. 199. Neque in eorum versuum constructione, in quibus mascula praevaluit caesura, ab

Apollonio diversus est Callimachus, quo in loco obiter moneo, saepe ordines turbatos esse ab editoribus nimio interpungendi studio, velut h. Iov. 7:

Ζεῦ, σὲ δ' ἐν Ἀρκαδίῃ. πότερον, πάτερ, ἐψεύσαντο;

ubi ea saltem delenda est virgula, quae antecedit vocativum πάτερ, vel h. Apoll. 2:

οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον. ἑκάς, ἑκάς, ὅστις ἀλιτρός.

ubi deleatur virgula post prius ἑκάς posita, haec enim non magis interpunctione dirimenda sunt quam αἰαῖ aliaque de quibus notum est Herodiani praeceptum, quam ἰὴ ἰὴ h. Apoll. 80. 97. 103, quod in Arist. Pac. 445 recte sublata virgula nunc legitur. Sed de ineptissima hac interpunctione plura in alio capite exponam.

In universum autem de poetis Alexandrinis haec valet observatio, ut quo quis antiquior, eo magis in versuum structura ad Homericam simplicitatem accedat. Aratus igitur caesuras masculas multo saepius admisit quam Callimachus, breviores ordines, semiseptenariam post semiquinariam. Nicander, multo ille in versuum structura accuratior, medium quoddam inter Aratum tenet et Callimachi sectatores. Atque hanc ipsam numerorum rationem haud parvi faciendam esse censeo, in ea solvenda quaestione, utrum Nicander Apollonium antecesserit aetate, necne: etenim hoc mihi certum videtur, Nicandrum, modo paucos Apollonii versus legisset, pro ea quae eius erat doctrina studiorumque assiduitas, versus suos longe aliter formaturum fuisse.

CAPUT TERTIUM.

DE DACTYLORUM FREQUENTIA IN POETARUM ALEXANDRINORUM ET NONNI HEXAMETRIS.

A caesuris autem transeundum est ad dactylorum frequentiam apud Callimachum et Nonnum, omnino recentiores poetas obviam. Nempe hoc verum est, in binis ternisve Dionysiacorum libris plures vel totidem fere extare versus holodactylicos, quam in duodenis fere Iliadis Odysseaeve libris, ut in hac quoque re novam numeri heroici immutationem factam esse a Nonno statuerint viri docti. Cf. Herm. Orph. p. 690. Gerhard. lectt. Apollon. p. 199. Caussam vero huius consuetudinis nemo quantum scio protulit; si protulit, certe non iustam. Nam etsi concedendum est, molliores in universum numeros esse apud Nonnum, tamen cave credas emolliri dactylorum frequentia versus heroici vigorem, immo in contrariam

potius abeundum est sententiam. Nam incitatur versuum cursus dactylico numero ut bellico quasi stridore aures obtundat. Ac numerorum quidem celeritas non aliena est a Nonno, utpote qui longissimus sit in orationibus ornandis, brevior interdum in ipso narrationis tenore: tamen ne hanc quidem caussam fuisse censeo cur adeo frequentarit dactylos. Sed ut breviter dicam, profecti sunt ex ipsis caesurae legibus, quas Nonnus sibi imposuit.

Quo loco miror, neglectam esse praeclaram observationem a Spohnio olim prolatam, de extr. parte p. 57. n. 13. p. 233. Is enim de caesura trochaica apud Homerum rectissime ita disputavit: 'in antecedentibus pedibus, primo et secundo, eam vim habet haec caesura, ut in proxime praegresso, qui est hexametri secundus in universum dactylus praeferatur. Augetur haec eius vis, si in primo pede dactylica vox praecessit; et accedente post hanc dactylicam pedis primi vocem caesura tertia, quae est in fine theseos primae, ita corroboratur et confirmatur, ut paene solemnis sit in pede secundo dactylicus numerus. Interdum dactylicam vocem, in pede primo positam, sequitur spondeus in pede secundo, quamquam adest in tertio caesura trochaica; hoc autem plerumque tunc tantum fit, ubi aut sequitur illam dactylicam vocem verbum *ὑπερδισύλλαβον*, aut in parte posteriore meri dactyli, aut ubi utrumque simul adest.' Exemplo sint hi versus:

– ◡ ◡ | – – | – ◡ ‖ ◡ | – ◡◡ | – ◡◡ | – ⏓

Il. *E*, 723: *χάλκεα, ὀκτάκνημα, σιδηρέῳ ἄξονι ἀμφίς.*
898: *ὣς φάτο, καὶ Παιήον᾽ ἀνώγει ἰήσασθαι.*
K, 482: *ὣς φάτο· τῷ δ᾽ ἔμπνευσε μένος γλαυκῶπις Ἀθήνη.*
Λ, 251: *ἐφθιάθ᾽, οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ᾽ ἐγένοντο.*
Δ, 523: *κάππεσεν, ἄμφω χεῖρε φίλοις ἑτάροισι πετάσσας*
648: *Τληπόλεμ᾽ ἤτοι κεῖνος ἀπώλεσεν Ἴλιον ἱρήν.*

Contra eiusmodi versus, quales sunt:

I, 440: *νήπιον, οὔπω εἰδόθ᾽ ὁμοιίου πολέμοιο*
Λ, 267: *ἔσσομαι, ὡς τὸ πρῶτον ὑπέστην καὶ κατένευσα*
824: *ἔσσεται, ἀλλ᾽ ἐν νηυσὶ μελαίνῃσιν πεσέονται.*

admodum rari sunt. Atque haec Spohnii observatio in universum recta est, nam etiamsi haud pauci sunt versus, in quibus neglectam videris, tamen hoc pro certo ponendum est, trochaicam caesuram adamare dactylos non in prioribus tantum, sed in omnibus omnino hexametri pedibus. Ceterum abiit in eandem sententiam vir doctus in Muetzellii Ephem. V, 2. 1851. p. 740, cuius haec sunt verba 'Homers vers ist ein dactylischer, die spondeen in demselben sind untergeordnete theile und oft nur vom zwange herbeigefuehrt, da viele unentbehrliche wortspondeen keine dactylische form annehmen, viele auch der frühere sprachgebrauch der rhapsodie (?) untergeschoben hat.'

Easdem vero leges, cum in universum Callimachus quoque observaverit et Nonnus, et cum apud hunc imprimis caesura trochaica praevaleat, apparet necessario prae dactylorum frequentia spondeorum usum paene nullum esse posse et prorsus evanescere in recentiorum poetarum versu heroico. Itaque iam nemini mirum videbitur, spondeorum usum apud eos poetas, qui in versuum conformatione operam artificii plenam posuerunt, certis quibusdam legibus et artioribus finibus esse circumscriptum.

CAPUT QUARTUM.

DE SPONDEORUM USU IN VERSU HEROICO.

His autem legibus, primus et unus, quantum scio, Merkelius summam ingenii sagacitatem advertit, in libello scholastico Magdeburgii 1841 germanice scripto, cui titulus est: metrisch-kritische Abhandlung über Apollonius Rhodius.

Atque fundamenta huius disputationis in eo posita sunt, quod recentiorum philologorum de Nonni hexametro disputationes eo provectas esse vir doctus dicit, ut a severa huius poetae disciplina in rebus metricis poetarum Alexandrinorum artificia longe superata esse videantur. Hoc autem re vera longe aliter sese habere et modo accuratius eorum versus examinentur, esse verendum, ne hi poetae metricae elegantiae palmam Nonno praeripiant. Quod ut efficeret, laboriosam operam in anquirendo spondeorum usu apud Apollonium inposuit. Atque summa huius disputationis eo redit, ut primum sex leges proferantur firmissimae, quarum prima haec est:

Si prima hexametri thesis longa est, primus ordo metricus per molossum plerumque efficitur: si etiam secunda, sequitur palimbaccheus.

Secunda: Si primo hexametri spondeo clauditur ordo metricus, proximus ordo per choriambum efficitur vel molossum, aut purum utrumque, aut una brevi syllaba abundantem.

Tertia: Si primum dactylum secundo in pede longa sequitur thesis, primum versus dimidium una tantum caesura naturali sive minore est dissecandum.

Quarta: Si tertium hexametri locum spondeus accepit, praecedente anapaesto plerumque, spondeo semper, choriambo saepe, tertiam thesin excipit Ionicus a maiore.

Quinta: Longa thesis quarti pedis partem conformare debet vocabuli hyperdisyllabi.

Sexta denique: Longa thesis in quinto pede, caesura naturali a sexto pede numquam est dirimenda.

Hae igitur leges, quarum fundamenta iam in Homeri carminibus esse posita, infra ostendam, quibus numerus eiusque recta continuatio egregie firmantur, rarissime neglectae sunt. Sane vero hoc ita tantum fieri potuit ut tres praeterea leges accederent auxiliares, ut ita cum Merkelio dicam:

I. Elisione tolli caesuram naturalem quae inter duo intercedit vocabula.

II. Enclitica cum antecedente, proclitica cum sequente vocabulo coniuncta unum tantum exhibere ordinem metricum.

III. Hanc procliticorum vel encliticorum naturam etiam in praepositiones cadere, in coniunctionem καὶ, in particulas γὰρ, δὲ, μὲν, iam a veteribus quibusdam encliticorum in numerum relatis, cf. Lehrs. quaestt. epp. p. 101. Goettling. de acc. p. 398, nec non in δή, particulam expletivam.

Tolluntur autem hae leges si interpunctio medio in versu locum habet, si nomina propria superveniunt, neque in eos cadunt versus, qui hypotyposis aliquam exhibent speciem. Praeterea primae legi alia subiungenda est observatio, vitari versuum in initio molossum una brevi abundantem, quo fit ut trochaeus secundo in pede ponatur, de quo iam supra monui. Excusatur hoc vitium primum in iis versibus, in quibus etiam reliquae leges neglegi possunt, dein si post primam arsin facta est incisio, denique si vocabulum monosyllabum, vel particula copulativa in thesi trochaica posita est, velut:

I, 665: ὑμέων δ᾽ εἴ τις ἄρειον ἔπος μητίσεται ἄλλῃ.

v. 1081: ὤλλοι μέν ῥα πάρος δεδμημένοι εὐνάζοντο.

Haec igitur ea sunt, quae Merkelius in praestantissimo illo libello exposuit: quibus quomodo reliqui poetae heroici carminis, quorum agmen Callimachus ducit, sese accommodarint, iam meum est exponere.

Ac si primo in pede apud Callimachum spondeus locum habet, primus ordo metricus plerumque molossus est, aut palimbaccheus ultima syllaba per positionem producta. Cf. Hymn. Iov. 22. 23. 25. 36. 39. 47. 51 rell. Sunt autem hi pedes aut puri, aut impuri, h. e. minorum quorundam vocabulorum arte cohaerentium, vel per se levium, auxilio constituti, velut h. Iov. 4: πῶς καί νιν, v. 5: ἐν δοιῇ, v. 22: ἦ πολλάς, alii. Legitime neglecta est haec lex propter sequentem interpunctionem, h. Dian. 8:

δὸς δ᾽ ἰοὺς καὶ τόξα· ἔα πάτερ κτλ.

Raro primus spondeus ordinem metricum claudit, ita ut inter ipsius primi pedis contineatur fines. Eum vero aut choriambus sive paeon primus ante positionem, aut molossus, vel purus uterque, vel impurus ita excipiunt, ut etiam brevi syllaba abundare possint. Tamen Callimachum

in hac lege observanda magis sibi indulsisse quam Apollonium, fortasse recte aliquis dixerit. Cf. h. Iov. 34: *κευθμὼν ἐς Κρηταῖον.* v. 58: *τῷ τοι καὶ γνωτοὶ,* v. 74: *αὐτοὺς, ὧν ὑπὸ χεῖρα,* h. Apoll. 42: *τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς,* v. 47: *Φοῖβον καὶ Νόμιον,* v. 65: *Φοῖβος καὶ βαθύγειον,* v. 102: *βάλλων ὠκὺν ὀιστὺν,* h. Dian. 6: *δός μοι παρθενίην·* vv. 14 et 43: *πάσας εἰνετέας,* v. 25: *μήτηρ ἀλλ' ἀμογητὶ,* 39. 68. 92. 108. 130. 134. 137. 148. 164. 168. 180. 187. 206. 207. 211. 216. 224. 231. 257 rell. Ceterum offendit nos h. Iov. 18:

Λάδων ἀλλ' οὔπω μέγας ἔῤῥεεν, οὐδ' Ἐρύμανθος.

nam *ἀλλ'* ita collocatum, cum ex sensu ad *Λάδων* pertinere debeat, pertinet etiam ad *οὔπω,* itaque fluctuat inter utrumque, et cum vix credam aliud apud Callimachum extare exemplum vocis *ἀλλὰ* in secundo enuntiati loco collocatae, inverso ordine legerim: *ἀλλ' οὔπω Λάδων κτλ.*

Quodsi dactylum primi pedis spondeus in secundo insequitur, ea valet lex, ut ne ea versus pars, quae metricam antecedit caesuram, plus una caesura minore dissecetur. Cf. h. Iov. 9. 20. 35. 49. 56. 68. 70. 71. 76. 80. 87. Nullam offensionem ii habent versus in quos leges illae auxiliares cadunt, velut v. 6. 8. 15. 21. 24. 26. 33. 43 rell., etiam h. Dian. 71: *δύνει ἔσω κόλπους,* neque ii, in quibus aliis de caussis duo vocabula arte consocianda sunt, velut h. Del. 27: *Δῆλε φίλη, τοῖός σε,* v. 119: *μεῖνον, ἐπεὶ καὶ θῆρες,* all. Contra h. Iov. 94: *χαῖρε, πάτερ, χαῖρ' αὖθι,* ne regulae repugnet, prior certe virgula delenda est. Item v. 46 post *Ζεῦ,* et h. Dian. 286 post *χαῖρε.* In h. Iov. 8: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται,* nec non v. 31: *πλῆξεν ὄρος σκήπτρῳ,* h. Dian. 19: *ἥντινα λῇς· σπαρνὸν γὰρ,* v. 146: *Φοῖβος ἔχει. τοῖος γὰρ,* fortasse etiam v. 266: *μηδὲ χορὸν φεύγειν ἐνιαύσιον,* aliqua venia ex superveniente interpunctione petenda est. At h. Dian. 41:

λευκὸν ἔπι, Κρηταῖον ὄρος, κεκορημένον ὕλῃ

ineptum est in praepositione statuere hoc loco anastrophen esse factam, et deleta virgula *ἐπὶ Κρηταῖον* scribatur.

Iam vero, si primum Hexametri colon spondiacum est atque versus post primum illum molossum per spondeum continuatur, hoc nisi *μονορηματικῶς* per palimbaccheum fieri non potest. Cf. h. Iov. 4: *πῶς καί νιν, Δικταῖον.* v. 41: *υἱωνοὶ πίνουσι.* v. 77: *τευχηστὰς δ' Ἄρηος.* V. 18, de quo modo dictum est, excusatur nomine proprio: neque contrarii sunt regulae v. 23: *ἤειρεν, πολλὰς δὲ,* v. 60: *δηναιοὶ δ' οὐ πάμπαν.* Et quia h. Dian. 36:

πολλὰς δὲ ξυνῇ πόλιας διαμετρήσασθαι

scribendum esse censeo *πολλὰς δὲ πτόλιας ξυνῇ διαμ.,* pauci tantum versus inveniuntur, legi prorsus contrarii, veluti

h. Dian. 136: πότνια, τῶν εἴη μὲν ἐμοὶ φίλος,

h. Del. v. 113: ὦ πάτερ, οὐ μὴν ἵππον ἀέθλιον ἀμφιβέβηκας.

Ceterum secundo in pede spondeus apud Callimachum legitimam sibi sedem quaesivit, et saepissime in eo invenitur.

In tertium spondeum ea cadit lex, quam epicorum poetarum nemo puto violavit, ut semper penthemimeri dissecetur. Hanc autem legem, quam a nemine adhuc pronuntiatam esse miror, ne numerus omnis everteretur, prorsus necessariam fuisse, apertum est. Nempe ei versui cuius tertium locum spondeus obtinuit, optio datur aut inter semiquinariam caesuram vel semiseptenariam, aut numerum sine ulla caesura prorsus elumbem. Et semiseptenariae aliquot exempla apud Homerum extant, velut Il. *E*, 628. *Θ*, 182:

ὡς πυρὶ νῆας ἐνιπρήσω, κτείνω δὲ καὶ αὐτούς.

sic etiam Anth. Pal. I, 64, 1:

ἑπτάκι τοὺς δέκα Φοίνικας, δυοκαίδεκα πηγάς.

Hephthemimeris autem cum iam per se molesta sit, tum in his versibus ferri non potuit, qui ita in duo fere pedum paria dirimerentur

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – – | – ‖ ◡ ◡ – ◡ ◡ – –

et ad horridam Tzetzae metricam accederent, qui inter alia monstra etiam tales versus formavit, quales sunt Antehom.

v. 12: εἰπὲ δὲ Πενθεσίλειαν, κούρην ἀντιάνειραν.

v. 28: οὐδ᾽ ἄρα μὴν τάδε Μοίραις ἥνδανε χαλκεοκμήτοις.

v. 101: Ἀστερίῳ βασιλῆι Κρητάων περ ἐόντι.

v. 113: οὐδὲ μὲν οὐκ ἀντέπληξε· πλῆξεν δὲ καὶ αὐτήν.

Atque hoc quidem iam Wolfius recte perspexerat, praef. nov. ed. Hom. p. 68. Praeterea vero eandem quoque caussam esse censeo, cur post semiquinariam illam secunda spondei syllaba non ex monosyllaba voce constare possit, nisi aut enclitica sequatur vocula, aut ipsum procliticum sit ad sequentia propius spectans vocabulum, articulus ante substantivum, vel coniunctio. Velut h. Iov. 8:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο.

v. 35: βρεσβυτάτη νυμφέων, αἵ μιν τότε μαιώσαντο.

h. Apoll. 42. h. Dian. 295. 262. 264. h. Del. 280.

Spondeus in quarto pede maiore aliquo contineri vocabulo ὑπερδισυλλάβῳ debet, vel si hephthemimeris locum habet, thesis saltem spondiaca ad tale pertinebit vocabulum. Atque huc ea referenda sunt, quae Gerhardius lectt. Apoll. p. 147 sqq. de positionis usu in spondeis quartae sedis disputavit, quae nostra demum lege firmum accipiunt fundamentum. E Callimacho conferantur h. Iov. 1. 20. 23. 26. 29. 39. 42 rell. Neque tam h. Ap. 12:

μήτε σιωπηλὴν κίθαριν, μήτ᾽ ἄψοφον ἴχνος.

vel h. Dian. 99:

εὗρες ἐπὶ προμολῆς ὄρεος τοῦ Παῤῥασίοιο.

et similes quosdam versus huic legi contrarios esse censeam, neque h. Iov. 78:

Ἀρτέμιδος· Φοίβου δὲ, λύρης εὖ εἰδότας οἴμους.

quocum conferatur Homericum illud *μάχης εὖ εἰδότε πάσης* in eadem versus sede, Il. *B*, 823. *E*, 549. *Π*. 100, quia duo minora verba quae in his inveniuntur versibus, quoniam certam et artam inter se habent coniunctionem, omni vacant offensione: quam h. Dian. 7:

καὶ πολυωνυμίην· ἵνα μή μοι Φοῖβος ἐρίζῃ

ubi legendum est sine dubio *ἵνα μὴ Φοῖβός μοι ἐρίζῃ*, atque h. Ap. 40:

ἀλλ' αὐτὴν πανάκειαν· ἐν ἄστει δ' ᾧ κεν ἐκεῖναι

ubi scribendum est *ἄστεϊ*.

Versus proprie spondiaci, quorum bini vel terni admodum raro se excipiunt (h. Iov. 34. 5. 46. 7. h. Dian. 97. 8. 170. 1. 176. 7. 222. 3. 4. 237. 8. 251. 2. h. Del. 65. 6) plerumque ita formati sunt ut longo vocabulo quadrisyllabo (– – – ◡) et longiore etiam clauderentur. Cf. h. Iov. 46. h. Apoll. 13. 55. Dian. 37. 223. 237. Trisyllabam clausulam exhibet h. Iov. 41.

Etiamsi hi fines quibus spondeorum usus apud Callimachum continetur admodum angusti sunt, et dactylorum frequentia longe praevaluit, tamen non ita vitavit spondeos, ut non bini se exciperent. Etenim duo spondei saepe per primum, raro per tertium, numquam per secundum hexametri colon continuantur. Raro hoc fit per secundum et tertium pedem, h. Iov. 8. 35. h. Apoll. 8. 67. 74. 87. 88, nunquam per quartum et quintum: rarius etiam per tres pedes continuantur spondei h. Apoll. 45. 74. 88.

Transeo ad Nicandrum, qui easdem leges severissime observavit et paucis tantum in versibus neglexisse videtur: ac de prima quidem, secunda, quarta, quinta et sexta lege non est quod dicam. Continuationem spondiaci coli per palimbaccheum neglegere potuit propter nomen proprium Al. 130: *νηστείρης Δηοῦς*. Alex. 80: *τέτρηχε γλώσσης*, scribi potest *γλώσσης τέτρηχεν*. Restant Ther. 109: *εὐεργῆ λάκτιν* et 116: *ἄκμηνος σίτων*, et alii quidam, quos nunc invenire non possum excusandi fere omnes propter interpunctionem. Eam vero legem, quae est de spondeo in quarto pede, non esse violatam his versibus: Alex. 92. 94. 347. 493. 560. 145. 485, manifestum est.

Has autem leges, quas eorum poetarum qui ante Nonnum in heroico carmine elaborarunt, nemo violavit, nisi qui prorsus rudis esset in arte metrica, veluti Manetho, Cynegeticorum auctor, Sibyllistae, casui tribuendas esse, quis est qui in tanto multorum carminum consensu censeat?

Ac de reliquis poetis dixisse sufficiat, ne nimius sim in molesto exemplorum numero coacervando. Quae leges quantum profuerint poetis in maioribus ordinibus recte coniungendis, et in servanda numerorum aequabilitate, facillime est intellectu. Ceterum ad unam omnes profectae sunt ex Homero. Etenim haec in universum poetarum Alexandrinorum ratio metrica fuit, ut quae iterata Homericorum lectione diligenter instituta, principi illi poetarum in consuetudinem abiisse cognovissent, sibi ipsi legi esse vellent et normae. Quod cum iam supra de caesuris ostenderim et dactylorum frequentia, nunc quoque nonnullis versuum centuriis has leges spondiacas ex Homero probabo. Haec enim sufficiant, nam eiusmodi quaestiones per totum Homericorum corpus persequi, inutile est et prorsus otiosum, cum ii poetae quorum carmina in unum collegit Homerus, naturalem quendam sensum secuti sint in versuum compositione, non artis doctrinam, hunc autem sensum in diversis hominibus non eundem fuisse apertum sit. Ineptum igitur est ad unam normam omnes Homeri versus exigere, modo quid in universum facere consuerint hi poetae ostenderis, quidve vitaverint. Et bene quidem scio, his quaestionibus prudenter institutis magnum inesse momentum ad impugnandam eam sententiam, quae ab uno Homero omnia fluxisse Homerica statuit, attamen in his quoque modi teneantur et fines necesse est et prorsus inutiles eiusmodi quaestiones mihi videntur, quales nuper Grashofius quidam de omisso apud Homerum augmento dactylorum in arsi instituit.

Igitur exemplo sint vv. 1—100 ex libris *Γ, Z, ε.* Ac primam quidem legem, quae est de molosso, fere semper observatam inveni. Cf. *Γ*, 2. 9. 12. 16. 21. 25. 26. 30. 36. *ε*, 1. 10. 11. 12. 16. 17 rell. Neglecta est in his locis: *ε*, 4: *Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.* v. 78: *ἠγνοίησεν ἰδοῦσα.* *Γ*, 28: *ὀφθαλμοῖσιν ἰδών.* v. 46: *ἦ τοιόσδε ἐάν.* v. 77: *καί ῥ᾽ ἐς μέσσον ἰών,* quibus accedant *Γ*, 5: *κλαγγῇ ταίγε.* v. 80: *ἰοῖσίν τε.* De secunda lege, quam de choriambo vel molosso proposui, primum hexametri ordinem spondiacum insequente, cui contrarii sunt *E*, 12. 18. 56. *Γ*, 37: *δείσας Ἀτρέος υἱὸν,* v. 53: *γνοίης χ᾽ οἷον φωτός,* conferantur *Γ*, 19: *πάλλων Ἀργείων.* v. 24: *εὑρὼν ἢ ἔλαφον.* v. 43. 48. 67, 82. 90. 91. *E*, 14 rell. Tertia ea est lex, qua versum usque ad caesuram metricam una tantum caesura naturali dissecari iubetur, si secundo in pede post praecedentem dactylum spondeus locum habet. Cf. *Γ*, 1. 3. 4. 6. 7. 17. 79. 87. Et si eiusmodi quoque versus huc referas, quales sunt *Γ*, 45: *εἶδος ἔπ᾽· ἀλλ᾽ οὐκ ἔστι.* v. 76: *ὣς ἔφαθ᾽· Ἕκτωρ δ᾽ αὖτ᾽ ἐχάρη.* v. 93: *κτήμαθ᾽ ἑλὼν εὖ πάντα.* *ε*, 7: *Ζεῦ πάτερ ἠδ᾽ ἄλλοι,* probatur haec lex quinquaginta fere versibus, septem tantum impugnatur, *Γ*, 32: *ἂψ δ᾽ ἑτάρων εἰς ἔθνος.* v. 66: *ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν.* *ε*, 32: *οὔτε θεῶν πομπῇ.* v. 48: *ὧν ἐθέλει, τοὺς δ᾽ αὖτε.* v. 108: *οἴκαδ᾽. ἀτὰρ ἐν*

νόστῳ. Z, 48: αὐτίκα δ' ἠὼς ἦλθεν, et v. 51: πατρὶ φίλῳ καὶ μητρί, quorum fere omnes haud parvam veniam ex superveniente interpunctione accipiunt. Hoc autem in loco eorum iterum meminisse iuvat, quae de iis versibus qui in tertio pede caesuram habent trochaicam, Spohn. de extr. part. Od. p. 233 observavit, quae cum nostra lege optime conveniunt. Hanc enim ille, postquam aspernari praecedentibus in pedibus spondeum exposuit, interdum, inquit, dactylicam vocem, in pede primo positam, sequitur spondeus in pede secundo, quamquam adest in pede tertio caesura trochaica; hoc autem plerumque tunc tantum fit, ubi aut sequitur illam dactylicam vocem verbum ὑπερδισύλλαβον, aut in parte posteriore meri dactyli, aut ubi utrumque simul adest. Quartae legi quae hexametrum post primum molossum μονορηματικῶς per palimbaccheum continuandum esse docet, haud pauca praesto sunt exempla, veluti Γ, 38: τὸν δ' Ἕκτωρ νείκεσσεν. v. 52: οὐκ ἂν δὴ μείνειας. v. 99: Ἀργείους καὶ Τρῶας. ε. 12: ὡς οὔτις μέμνηται Ὀδυσσῆος· v. 17: οἵ κέν μιν πέμποιεν. In contrariam partem abeunt: ε, 24: ὡς ἤτοι κείνους. Z, 29: ἐκ γάρ τοι τούτων. Γ, 2: Τρῶες μὲν κλαγγῇ. v. 42: ἢ οὕτω λώβην. v. 54: οὐκ ἄν τοι χραισμῇ. v. 74: ναίοι τε Τροίην.

De spondeo in tertio pede quoniam dictum est, sequitur sexta lex, quae quartum spondeum aut maiore aliquo vocabulo ὑπερδισυλλάβῳ contineri iubet, cf. Γ, 14. 15. 16. 22. 27. 30 rell., aut praecedente hepthemimeri saltem thesin spondei ad eiusmodi pertinere vocabulum, Γ, 8. 28. 48. 80. Sed haec ipsa ea est lex quam omnium maxime neglexit Homerus, cum thesis spondiaca non solum frequenter ad modum ad bisyllabum pertineat vocabulum, Γ, 36. 38. 72. 81. 92, sed etiam haud raro monosyllaba sit, velut Z, 27: ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτήν et v. 33: ἔτι δὴν παρθένος ἔσσεαι, ne de praepositionibus dicam, deque καί, ἤ particulis, de ὡς aliisque id genus. Ac ne ii quidem desunt versus, in quibus totus spondeus bisyllabum est vocabulum, velut Z, 8: ἑκὰς ἀνδρῶν ἀλφηστάων. v. 31: ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι. Γ, 20: ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι. v. 49: νυὸν ἀνδρῶν αἰχμητάων. Et cum eiusmodi versus re vera auribus nullam praebeant molestiam, non eam saltem, qualem ille Tibulli versus I. 1, 37:

adsitis, divi, nec vos e paupere mensa,

fortasse statuendum est, hanc legem quam sibi Alexandrini imposuerunt poetae, non tam e fonte Homerico fluxisse, quam e reliquis eorum rationibus metricis, quibus inducti longiores in universum ordines brevioribus praeferre consuerant. Contra de quinto spondeo fatendum est, eum apud Homerum quoque, cum sexto pede unum plerumque exhibere vocabulum quadrisyllabum, et rariores esse trisyllabas hexametri clausulas, a longa syllaba incipientes.

His autem ita expositis, cum ostenderim quid conveniat Homerum

inter et poetas Alexandrinos spondeorum in usu, restat ut ad Nonnum iam transeam, et quam hic sibi viam cum sectatoribus ingrediendam esse censuerit, anquiram. Panopolitanus autem poeta, cum his quoque in rebus poetas Alexandrinos secutus sit, fieri tamen non potuit, quin septem illae de quibus diximus leges etiam artioribus ab eo circumscriberentur finibus. Etenim quasi proprias sedes nacti sunt spondei apud Nonnum, sextum quartum et secundum pedem. Etiam primo in pede admodum frequens eorum est usus, rarus autem in tertio; et in quinto adeo nullus, ut ne semel quidem in XLVIII Dionysiacorum libris hanc sedem spondeus occupaverit. Porro per unum hexametri colon spondei continuari non possunt, et raro eodem in versu secundam una cum tertia sede obtinuerunt (II, 310. 567. 681. VIII, 272. X, 380. XII, 112. XIII, 179. 228. 413. 482. XV, 161. XVII, 388. XIX, 2. 43). Haec si tenentur, nonnullas Alexandrinorum leges de Nonno non posse valere apertum est.

Itaque primam legem, quae de molosso est, cum in aliis libris, tum in his libri secundi versibus observavit: 29. 37. 44. 56. 123. 135. 144. 167. 216. 251. 253. 267. 274. 396. 427. 474. 490. 491. 505. 513. 526. 558. 560. 569. 572. 586. 608. 634. 652. 655. 670. 675. 691. 697. Accedunt ii versus, in quibus minores voculae bisyllabum vocabulum aut sequuntur, aut ei praecedunt, velut: *ἐκ* v. 114. *καὶ* v. 139. 374. *μὴ* v. 151. *γὰρ* v. 214. 448. 482. *οὐ* v. 334. 647. *μὲν* v. 388. 424. 479. *δὲ* v. 423. 471. *σοὶ* v. 627. *ὥς* v. 699. Contra eae leges de palimbaccheo post molossum ponendo, et de molosso post spondeum qui primum pedem non egreditur, nullius apud Nonnum sunt usus. Praeterea eam quoque neglexit, qua choriambum sive purum sive una brevi abundantem talem spondeum excipere iubetur, cum haud raro e duobus vocabulis apud eum constitutus sit. Cf. II, 130. 140. 143. 149. 207. 218. 241. 339. 529. 555. 619. 625 rell. At XI, 96:

πένθος μίξε γέλωτι, καὶ ἄστατον εἶχε μενοινήν

quia Nonnus augmentum, nisi summa metri necessitate coactus, non omisit, scribendum est *πένθος ἔμιξε*, et eadem de causa v. 191: *καί οἱ ἔπεμπε* pro *καί οἱ πέμπε*, etenim hic hiatus inter molestos a Nonno quantum scio, non est relatus. Quia vero Alexandrinorum leges de spondeo quarti pedis a Nonnianis diversae non sunt, certe in eiusdem libri v. 152:

νόσφι φόβου δρόμος οὗτος, ἐπεὶ καὶ, θῆλυς ἐοῦσα,
παρθένος Εὐρώπη βοέων ἐπεβήσατο νώτων,

virgula delenda est post *καὶ* posita, vel aliis de causis molesta et prorsus otiosa, ita ut hic versus non aliter formatus sit, quam qui paullo infra leguntur vv. 321. 324. 457, alii. Porro Nonnus accuratissime eam observavit regulam, quae est de una caesura naturali, cum in aliis libris, tum

in secundi plus quam ducentis versibus, et paucissimos tantum inveni locos, in quibus hanc legem prorsus violatam esse dixerim.

Ii vero poetae, quos communi nomine Nonni sectatores nominamus, non pari omnes ratione magistri praecepta secuti sunt. Quorum Musaeus quidem omnium proxime a Nonno abest. Etenim is quoque easdem regulas cum Nonno observavit, easdem neglexit, praesertim cum is sit Musaeus, in quem unum cadat observatio Wernickii in Tryph. p. 39, Nonni imitatores non continuare spondeos in uno commate, quam sic universe prolatam, falsam esse, Hermannus ostendit, Opusc. IV. p. 210. Quapropter in unico v. 272 huic legi contrario:

ὡς ἡ μὲν ταῦτ᾽ εἶπεν· ὁ δ᾽ αὐτίκα λύσατο μίτρην.

praeterea cum hoc elisionis genus a Musaeo alienum sit, emendationem ab eodem propositam viro, *τάδ᾽ ἔειπεν,* recipere non dubitamus. Iam si singula circumspicimus, primae legi quae est de molosso, duo tantum sunt versus, qui minus conveniant, v. 159: *θηλείης δὲ* et v. 196: *Λείανδρος δὲ.* Atque secundo in pede cum spondeum admodum frequentaverit Musaeus, diligentissime curavit ut ne ea lex violaretur, quam de una caesura naturali factam esse diximus. Cf. v. 2. 7. 10. 14. 19. 23. 26. 27 rell. Neque tam vv. 144. 146. 185. 306, aliique similes, huic legi repugnant, quam v. 13: *πρὶν χαλεπὸν πνοιῇσιν*, v. 64: *τρεῖς Χάριτας ψεύσαντο,* v. 240: *θυμὸν Ἔρως ἔφλεξεν,* v. 259: *πολλὰ καμὼν Λείανδρος,* v. 271: *δεῦρο, τεοὺς ἱδρῶτας,* v. 281: *νὺξ μὲν ἔην κείνοισι γαμοστόλος*: contra v. 245: *δεινὸς Ἔρως, καὶ πόντος ἀμείλιχος* excusatur interpunctione et copulativa coniunctionis natura. Etiam ea lex quae quartum spondeum maiore aliquo vocabulo contineri iubet, permultis in versibus accurate observata est. Vv. 5. 20. 174. 278, in quibus *καὶ* thesin spondiacam formavit, non sunt offensioni, neque v. 78. 175. 181. 284. 322: semel thesis spondiaca in bisyllabum cadit vocabulum, v. 284. Spondiacum primi pedis ordinem choriambus quinquies excipit, v. 42. 63. 130. 241. 299, choriambus una brevi abundans, decies ter, v. 7. 15. 42. 45. 60 rell. interpunctione excusantur v. 21. 29. 33. 124. 134. 224. 239. 280. 308. 313, at quae venia in v. 173. 297. 328 cadat, nescio. De tertio spondeo ne semel dicta sexcenties referam, nisi duobus in versibus nihil monendum est. Nam v. 136:

οὐ γὰρ ἐπιχθονίῃς ἴσην καλέω σε γυναιξὶν

scribendum est *ἐπιχθονίῃσιν ἴσην.* id quod in antiquis editionibus adeoque apud Heinrichium extare postea cognovi, quia *ἶσος,* producta penultima nisi in arsi, nunquam puto apud Nonnum eiusque sectatores locum habet, cuius rei vel apud poetas Alexandrinos rarissima sunt exempla, praeterea v. 213:

καί μιν ὀπιπτεύων δύντ᾽ ὄψομαι οὔτε Βοώτην

sic a Musaeo scriptus esse non potest, non quia thesin monosyllabam huius spondei moror, sed primum quia talis elisio neque Nonno, neque Musaeo unquam usitata, dein quod omnino *δύντ'* in hoc loco ineptum est, ubi Leander ea enumerat sidera, quae modo facem ipsi accenderit Hero, contemplari recusat. Libri autem Mss. et antiquae editiones hunc locum sic exhibent: *οὐκ ὄψομαι δύντα Βοώτην.* Cogitabam aliquando de *ἄντα Βοώτην* vel *εἶθα Β.* sed videtur excidisse versus post v. 214, hoc autem in loco scribendum esse: *οὐκ ὀψὲ δύοντα Βοώτην.* Cf. Paull. Silent. ecphr. Soph. 854 Bekk. cui illo in loco nostrum obversatum fuisse verisimile est.

De Collutho hoc tantum dico, binos diversarum dipodiarum spondeos contiguos apud eum extare his in versibus: 21. 32. 61. 127. 132. 137. 146. 205. 236. 241. 282. 365. 370. At per unam dipodiam nisi quinto et sexto in pede spondei non continuantur, nam v. 13:

Ἀργείης. αὐταὶ γὰρ ἐθηήσασθε μολοῦσαι

excusatur interpunctione, et v. 83:

χρυσῷ μὲν πλοκάμους, χρυσῷ δ' ἐστέψατο χαίτην.

schemate praeterea rhetorico.

Omnium vero longissime, cum aliis in rebus, tum in spondeis a Nonno recessit Tryphiodorus, qui ne his quidem versibus abstinuit, quales sunt v. 461:

μήτ' ἄλλων Τρώων, μήτ' αὐτοῦ Δηιφόβοιο

et v. 543:

Τρώων φευγόντων· ἐστείνετο δ' Ἴλιος ἱρή.

Sed in singulis ne hic quidem novavit. Itaque v. 398: *καὶ σέ, πάτερ καὶ μῆτερ,* ne plus una caesura naturali laboret, delenda est virgula post *σέ* posita. Quartam legem de palimbaccheo, alienam a Nonni versibus et Musaei, Tryphiodorus vicies bis, ni fallor, observavit. Cf. v. 30: *Ῥῆσον μὲν Θρήικες.* v. 126: *ἀλλὰ χρὴ ζώοντας.* v. 129: *εἴ μήπου στρουθοῖο.* v. 139. 147 rell. Contrarii sunt v. 461. 500. 590. 610. 638. Sed v. 406:

τίς γάρ μοι χρειὼ βιότου πλέον —

inverso ordine legendum est *βιότου χρειώ.* Quintus spondeus, uno excepto v. 222, ubique cadit in vocabulum quadrisyllabum.

CAPUT QUINTUM.

DE VERSUS HEROICI CLAUSULA TROCHAICA.

Sexti vero pedis spondeo deferimur ad quaestiones de versuum clausula. Nam omnis versus hexameter cum aut in spondeum exeat, aut in

trochaeum, iam apud poetas Alexandrinos duae versuum partes spondeo clauduntur non trochaeo, ita omnino ut trochaeorum usus certos quosdam fines evagari non possit.

Atque recentiorum grammaticorum quosdam statuisse scio, propriam versus heroici clausulam esse trochaicam, non spondiacam, quia spondeo in fine posito nullam numerorum intermissionem versus haberet. Sed hoc argumentum parum placet. Nam quid est quod in hexametro talem remissionem requiramus, qua in iambicis versibus et anapaesticis nos carere facile patiamur? Deinde dicunt, nisi trochaeo in fine posito, versum hexametrum acatalectum a catalectico in bisyllabum secerni non posse. Sed ne haec quidem vera sunt. Etenim versus hexameter acatalectus, dactylum habet in fine, spondeum habere potest: catalecticus, clauditur spondeo, dactylo ne potest quidem. Quae cum ita sint, utrumque versuum genus satis tutum est a confusione. Porro si legitime versus heroicus clauderetur trochaeo, non esset versus dactylicus hexameter, sed versus pentameter cum trochaica clausula coniunctus. Potest etiam aliud argumentum contra hanc sententiam inde peti, quod antiquissimis temporibus versus heroici non *κατὰ στίχον* componebantur, sed per systemata quinorum aut ternorum versuum, itaque singuli versus nulla in fine egebant numerorum remissione. Tamen haec, quia non libera sunt omni dubitatione, urgere nolo. Missa igitur hac opinione quae neque doctae antiquitatis testimonio, neque rationi conveniens est, hoc potius pro certo sumendum, iam in Homericis carminibus, longe plures versus spondeo terminari quam trochaeo. Quid igitur mirum, poetas Alexandrinos, cum in universa versuum structura quid primarium sit, quidve legitimum, diligenter quaererent, eandem secutos esse normam, eamque Nonnum, pro ea quae eius erat severitate in rebus metricis, ita consummasse, ut paene exulaverit trochaicam clausulam e Dionysiacorum libris?

Primus autem qui singulari cura adhibita huic quaestioni animum attendit, Struvius fuit Regiomontanus qui libellum scholasticum de versuum exitu apud Nonnum scripsit, quo demonstravit, alias esse terminationes in hac versus sede frequentatas a Nonno, alias prorsus vitatas. Ac primum quidem de nominum declinatione, quibus participia quoque includuntur, ea est lex, ut terminationes trochaicae, si mobiles sunt, h. e. si per ipsam declinationem ad naturalem vocabuli stirpem accesserunt, in clausula versus poni possint et frequenter ponantur, contra vitentur eae terminationes, quae mobiles non sunt. Priori generi e prima declinatione adnumeranda sunt *α*, *αο*, *αν*, *ησι*: e secunda *ος*, *ον*, *ο* (in *ἄλλο*, *ἐκεῖνο*), *α*, *οιο*, *οισι*: e tertia, terminatio nominativi neutrorum in *ος* (nam in *κάλλος*, *τεῖχος* aliisque, proprie *καλλε*—, *τειχε*— est stirps naturalis, id quod e compositis velut *σακέ-σ-παλος* intellegitur, *ος* terminatio naturalis),

terminatio genetivi in ος, praeterea terminationes in ι, α, ε, ες, εσσι, σι, quibus accedunt terminationes in ις et υς eorum nominum, quorum accusativi in ιν et υν formantur (cf. Spitzner. de vers. her. p. 67. Wernick. ad Tryph. p. 288), una cum ipsis his accusativis. Iam nolo quaerere, quo iure Struvius has terminationes mobiles esse dixerit, reliquas negaverit: nam utut hoc est, manet tamen observatio, his tantum terminationibus in versuum clausula usum esse Nonnum, ita tamen ut etiam terminatione primae declinationis in αο, tertiae in ε, omnium vero in σι abstinuerit. Paucissimos versus huic legi contrarios, partim corruptos, partim ab imitatione Homerica vel Apolloniana excusandos, nolo ex diligentissimo Struvii libello hoc in loco describere. Illud potius monendum est, hac in re cum Nonno facere etiam sectatores, etiamsi peculiarem quemque et suam viam nihilo minus ingressum esse negari non potest.

Etenim Colluthus terminationem primae declinationis in α mobilem, nisi in participiis nunquam admisit. Cf. v. 30: μεθεῖσα, v. 33: ἐοῦσα, v. 43: τυπεῖσα, v. 44: δαμεῖσα, v. 46: θοροῦσα, rell. Unus tantum contrarius est versus 206:

κυανέη μὲν ὕπερθεν ἀναθρώσκουσα θάλασσα
οὐρανὸν ὀρφναίων ἑλίκων ἐζώσατο δεσμῷ.

quem corruptum esse ineptissima enuntiati sententia aperte prodit, etenim vesani est hominis, caeruleum mare super insurgens coelum nigri velaminis vinclo cinxisse dicere. Sed de emendando hoc loco lacunis non parum depravato alii videant. Praeterea terminationes in σι admisit Colluthus in vv. 39. 187. 248. 367.

Musaeus autem in vitandis trochaeis tam anxius fuit, ut non solum genetivos in αο, οιο exeuntes, sed etiam neutrorum terminationem in ος et dativos in σι (exceptis v. 128. 500. 34. 136) cum aliis nonnullis vitaverit. Octies enim, si recte memini, accusativos tertiae declinationis in versuum exitu posuit. Quater tantum (v. 84. 268. 275. 317) nominativos secundae declinationis in ος. Reliquarum vero terminationum vix bina inveniuntur exempla. Semel praeeunte Callimacho ἄστυ in fine positum est, v. 74.

Contra Tryphiodorus trochaeorum in usu plura sibi indulsit. Admisit enim dativos in ησι, οισι, εσσι, ος neutrorum v. 22. 136. 580, quin adeo v. 270 genetivum primae declinationis in αο, sed in nomine proprio. Sed mirum mihi visum est, quid sit quod in universum terminationes secundae declinationis modo genetivos in οιο exceperis prae reliquis vitandas esse censuerit. Quarum una quidem paullo frequentior est, dativi in οισι, sed rarissimae sunt terminationes neutrorum in ον et α, atque ipse nominativus in ος quem quinque nomina propria exhibent, v. 57. 60. 170. 295. 614, praeterea ἕκαστος v. 150. ὁμοῖος v. 640. Accusativi huius

declinationis duobus tantum in versibus, v. 17. 624, trisyllabi sunt, bisyllabi in reliquis omnibus. Contra genetivos bisyllabos tertiae declinationis nunquam admisit. Vitiosae vero quatuor tantum sunt versuum clausulae, αἷμα v. 230, ἄστυ v. 51. 395 et ὡς ὄφελέν τις v. 404. —

Caussas vero, quibus inducti fuerint hi poetae, ut has mobiles terminationes admiserint, reliquas vitaverint, cum ne a Struvio quidem expositae sint, fateor me nescire. Illud scio, iam Alexandrinos poetas eandem secutos esse rationem. Etenim Callimacho, ut ab hoc initium faciam, frequenter clauduntur versus his terminationibus mobilibus: α, αν, ησι — ος, ον, ο, ε (in vocativis quibusdam, h. Del. 260. h. Cer. 2. 120), α, οιο, οισι — ος genet., ος nom. neutr., ι, α, ες, ας, σι (εσσι) — ις, ιν, υς, υν et υ. Genetivos primae declinationis in αο in nominibus propriis quibusdam sibi concessit, h. Ap. 74. h. Dian. 209. 216. h. Del. 102. Dativos epicos in οισι, ησι, εσσι rarissime admisit, h. Iov. 82. h. Dian. 4. 75. 246. Terminatione tertiae declinationis in ε prorsus abstinuit. Paene eadem ab Apollonio Rhodio observantur: nam vitavit dativos in ησι: terminationes in ε has tantum inveni: ὄσσε, I, 1296. II, 409. III, 950. IV, 16. 695 et αὔξαντε II, 429. IV, 691. 1541, quorum prius in eadem sede apud Homerum sexcenties obvium, alterum ex cognatis formis αἴξασα, αἰξάντων ita ab eodem collocatis fluxisse videtur. Genetivus in αο admittitur in nominibus propriis: Πελίαο, I, 3. II, 626. 892. Βορέαο I, 652. 1300. 1308. II, 234. 241. IV, 286, Ἑρμείαο, Ἀκτορίδαο, Ἁγνιάδαο, Αἰήταο, Αἰσονίδαο, all. Ceterum Apollonius neutris in ος versus claudere non adamavit, quorum in primo libro tria, v. 127. 820. 1036, in quarto sex tantum inveniuntur exempla v. 130. 173. 187. 223. 402. 1201. Vocabulum ἄστυ occurrit I, 794. δάκρυ III, 705. E Nicandro a quo clausula in ος neutrorum inter vitiosas non relata est notavi Ther. v. 206:

τῆμος δ' ἠὲ κάρη λιχμήρεος ἑρπηστᾶο

ubi nescio an librarius hanc formam pro inusitatiore ἑρπηστῆρος reposuerit, porro ὄσσε, Alex. 188. 435. Ther. 758. δράκοντε Ther. 609 et δάκρυ Alex. 433. Apud Aratum denique versus in ε exeuntes nunquam inveni, raro in ος neutrorum (ἐοικὸς v. 63. 235. 444. 449), nunquam in υ, raro in ησι. Genetivo Βορέαο clauduntur v. 355. 480. 507.

Vitiosi vero trochaei, eos dico qui terminationes nominum non nobiles exhibent, hi tantum extant apud poetas Alexandrinos: 1) Neutra in α: ἄγαλμα Ar. 197. Call. h. Del. 307. ἄεμμα. Call. h. Dian. 10. ἄημα h. Dian. 55. ἄθυρμα Ap. Rh. III, 132. αἷμα Call. h. Del. 282. κῦμα Apoll. II, 1104. III, 322. IV, 908. 941. οἶδμα IV, 945. ὄμμα Call. h. Cer. 53. πῆμα Apoll. I, 468. σῆμα Arat. 1142. Call. h. Dian. 131. χεῦμα h. Iov. 37, et alia quaedam Nicandri propria. 2) Neutra in αρ, ας, ορ: ἄλκαρ Nic. Ther. 698. Apoll. II, 1076. εἶαρ Nic. Alex. 314. 590. ἦμαρ Call. h.

Del. 128. Apoll. I, 450. II, 408. III, 1078. IV, 1273. ὄνειαρ Arat. 15. Apoll. III, 1050. IV, 1430. Nic. Alex. 543. τέκμαρ Apoll. III, 1001. κῶας Apoll. IV, 124. 162. οὖδας Call. h. Del. 306. ἦτορ Ap. Rh. IV, 169. 1064. Nic. Alex. 282 (Nonni. Par. Ev. 2789). 3) Neutra adiectivorum in ες: ἀεικὲς Ap. III, 420. ἀπεχθὲς Nic. Ther. 818. δυσαλθὲς Ther. 187. Alex. 12. 157. ἐπαρκὲς, 577. κακηθὲς Ther. 152. 4) Neutra participiorum in ον: καθέρπον Call. h. Del. 92. χλοάζον Nic. Ther. 917. 5) Vocativi δαῖμον Call. h. Dian. 86. μῆτερ (μᾶτερ) h. Del. 162. 190. h. Cer. 84, denique nominativus βοσκὰς Nic. Alex. 293.

Hactenus de clausulis trochaicis nominum. Verba quod attinet, omnium frequentissimae apud poetas Alexandrinos sunt terminationes in ε et ουσιν, quae ν ἐφελκυστικὸν adsciscere possunt. De cuius recto usu variae sunt virorum doctorum sententiae. Hermannus enim, de em. rat. gr. Gr. p. 22 sq. hanc litteram in cuiusque versus fine addendam esse censuit. Post eum Wernickius in Tryph. p. 66 eam in Nonni sectatoribus notavit regulam, ut usurpari hanc litteram primum ad vitandum hiatum doceret, sequente versu a vocali incipiente, dein poni etiam sequente consonante ante maiorem interpunctionem. Cuius regulae cum priorem tantum partem constanter in Quintum cadere animadvertisset Arm. Koechly, eam unice veram esse et in omnibus regnare epicis pronuntiavit, Prolegg. in Quint. p. XXXVII. Quod nollem dixisset vir doctus. Nam cum de hac quaestione iudicium, de qua veterum grammaticorum nullum superest praeceptum, unice ad codicum auctoritatem et editiones veteres redeat, certe negari non potest, hanc legem cadere in Quintum et recentiores, in Aratum et Callimachum, ubi addatur ν paragogicum h. Dian. 175. De Oppianis non liquet, neque magis de Homero in quo, qualem diligentissimis recentiorum curis expolitum habemus, fere ubique addita est haec littera, etiamsi in codice Veneto Iliadis plerumque omitti ν in versuum clausula, altero versu a consonante ineunte, Spitzneri docet adnotatio in Il. *A*, 189. Non vero cadit haec lex in Apollonium Rhodium, ad fidem codicis Laurentiani castigatum, neque in praestantissimum Nicandri codicem Parisinum de quo Bussemaker dixit in scholiorum praefatione p. V, cuius apographum consueta humanitate Henricus Keil inspiciendum mihi praebuit: ceterum mirum quantum consentit hic codex in rebus prosodiam spectantibus et orthographiam cum clarissimo libro Italo, quod hoc quidem in loco indicasse sufficiat. Puto autem hanc epicorum in re per se quidem levi et pusilla inconstantiam inde fluxisse, quod ipsi de primitiva vel adventitia huius litterae natura diverse sentirent cum reliquis grammaticis, de quo conferantur Bachmanni Anecd. II. p. 57, 13 sqq. Buttmann. Gramm. §. 26, 3. n. 2. Nonnus autem callide, ut solet, hanc difficultatem ita superavit, ut omnino iis formis quibus addi possit ν

paragogicum, versuum in clausulis abstinuerit, id quod iam a Wernickio animadversum est l. l. p. 62.

Reliquae verborum terminationes a Nonno severissime ab eiusque sectatoribus multo saltem diligentius vitatae sunt quam a poetis Alexandrinis, qui formas tantum coniugationis in *μι* quantum fieri potuit ex hac versus sede expulerunt. Ac de Nonno quidem ad Struvii libellum ablego lectores. Reliquorum usum singillatim perlustrare non attinet. De uno Musaeo moneo, eum in versibus per trochaicas verborum formas claudendis adeo nullum esse, ut unum huius rei apud eum extet exemplum, idque corruptum. Nam v. 71:

ἡ δ' ἄρα καλλιθέμεθλον ὅπη κατὰ νηὸν ἀλᾶτο
ἑσπόμενον νόον εἶχε καὶ ὄμματα καὶ φρένας ἀνδρῶν.

de sacerdote Veneris, deae templum certis horis adeunte, inepte usurpatam esse formulam *ἀλᾶσθαι κατὰ νηὸν*, nemo non videt.

Restat, ut de particulis dicam et adverbiis trochaeum efficientibus. In quibus usurpandis paullo liberior est Apollonius Rhodius. Nam praeter *δὲ, τε, γε* (*ὅγε, τῆγε* rell.), *περ, ῥα* (II, 584) etiam polysyllaba versum claudere possunt adverbia, ea imprimis quae in *θεν* et *ξε* exeunt, velut: *ἔνερθεν, ἑκάτερθεν, ἄνωθεν, ἀμφοτέρωθεν, ἄνευθεν, πάροιθεν, προπάροιθεν, μετόπισθεν, ὑπένερθεν, ὕπερθεν, θύραζε, ἔραζε*, nec non *ἀντιπέρηθεν* I, 613. II, 1032. III, 1270. IV, 470. *περάτηθεν* IV, 54. *Πιερίηθεν* I, 31. *Ἀρκαδίηθεν* I, 161. *Κεκροπίηθεν* I, 214. Praeterea extant: *ἔπειτα* I, 408. 598. 828. II, 722. 1068. 1093. IV, 373. 716. 758. 1720. *ἔνθα καὶ ἔνθα* I, 222. III, 236. 651. 757. 1310. IV, 325. 1611. *αὖθι, αὖθις, αὖτε, αὖτις, ἄχρις, ἄρτι* I, 1222. *κεῖσε* IV, 1237. *ἑτέρωσε* IV, 1579. *ἐπιπρὸ, διαπρὸ* IV, 313, *ἀμφὶ* III, 881. Multa sane exempla, sed non nimis multa, modo fere sex versuum milia continere Argonautica memineris.

Tamen in reliquorum poetarum Alexandrinorum carminibus, horum vocabulorum usus non ita late vagatur. Nam *περ, τε, δὲ* in fine posuit Nicander, *τε, περ, γε* (*ἔγωγε* h. Del. 122) *δὲ, μὲν* Callimachus, quibus omnibus abstinuit Aratus. Praeterea haec e schedulis proferam: *ἀμφοτέρωθεν* Arat. 24. 579. *ἑκάτερθεν* Arat. 882. Nic. Ther. 477. *ἔνερθεν*, Ther. 242. *ὕπερθεν*, Ther. 241. Arat. 484. 655. *πάροιθεν*, Arat. 974. *προπάροιθεν* Arat. 938. *ὄπισθεν*, Callim. h. Del. 77. *Κεκροπίηθεν* h. Dian. 227. *ἔνθα καὶ ἔνθα* Arat. 393. 855. *ἠῶθι πρὸ*, 866. 870.

Apud Nonnum exeunt versus in *γὰρ, δὲ, μὲν*: duobus tantum in locis in adverbia bisyllaba, Dion. XXXVII, 44: *ἔνθα καὶ ἔνθα*, et in Par. Ev. 2798: *ἀλλὰ καὶ αὖθις*: nunquam in polysyllaba. Tryphiodorus habet *δὲ*, v. 325. 452. 596. *αὖτε* v. 182, *πάροιθεν* v. 307. Musaeus, *δὲ*, in formulis inter se simillimis, vv. 61. 162. 164. 286. 296. 306. *τὲ* v. 76.

γὰρ v. 208. Colluthus autem particulis et adverbiis in exitu versuum nullum locum concessit.

CAPUT SEXTUM.

DE HIATU.

Iam si ea, de quibus hactenus exposuimus, in unum colliguntur, illud apparet, duas in omni versu esse sedes, quae maiorem vocis remissionem efflagitant, alteram in caesura, alteram in fine secundi ordinis, eas vero versuum partes, quae contineantur his finibus, ut bonus fiat numerus, absolutam quandam et aequabilem unitatem exhibere, neque numeri immutatione aut nimia caesurarum tarditate esse turbandas. Sed cum latius pateat haec lex, quae cavere nos iubet, ut ne molestam remissionem in eas versuum partes inferamus, quae nulla remissione disiungendae sunt a sequentibus: primum huc pertinet ea quaestio quae est de hiatu, sive vocalium concursu in vocabulorum confiniis.

Duo autem hiatui vitia insunt, quorum alterum rhythmicum sive novo vocabulo harmonicum dicam, alterum metricum. Primum enim moleste percutiuntur aures, quotiens vocalis ante vocalem elisione non tollitur et numeri harmonia, orta illa ex soni pulcritudine evertitur. Dein vero hanc ipsam ob caussam remissio quaedam vocis supervenit et interruptio numeri, adeoque vitium metricum, quia haeret quodammodo vox in pronuntiando hiatu, et vocales contiguos uno spiritu proferre recusat: vocis autem remissio non in quaque versus sede concessa est.

Prius autem vitium non idem est in singulis hiatuum generibus. Etenim maximum est, quotiens brevis vocalis ante vocalem manet. Hoc autem vitium quam diligentissime ab omnibus poetis vitatum est, et si quo in loco remansit, a nobis emendandum. Mitto nunc excusationes, paratas huic vitio in Homeri carminibus ante ea vocabula, quae olim digammate instructa fuerunt, aut a duobus incipiebant consonis, quarum prima temporum decursu evanuit, aut a spirante denique vehementius paullulum pronuntiata, de quibus accuratissimas videas Hoffmanni disputationes. Mitto omnino Homerum, cuius versus antequam describerentur, diu per hominum ora circumlatos, non ad eam legum severitatem exigendos esse, quam recentiorum epicorum ab initio statim calamo exceptos, plus semel monui. Illud nego, in aliis poetis epicis hunc hiatum, nisi in caesura locum habeat aut in fine quarti pedis, et ne tum quidem apud praestantiores poetas, ferri posse. Itaque probo et libenter accipio eas emendationes, quas hac occasione Hermannus, Gerhardius aliique proposuerunt.

Nonnulla tamen horum virorum diligentiam fugisse videntur. Velut unus versus in Pythagoreorum carmine aureo: cuius auctorem, sive Lysin Tarentinum, sive Astonem Crotoniatam fuisse dixeris, circa belli Peloponnesiaci tempora, vel paullo post vixisse, argumentis veri quam simillimis cum Mullachius mihi in praefatione nuperae Hieroclis editionis p. XIV sqq. probaverit, certe pro huius aetatis ingenio vitiosus est v. 53:

ὥστε σε μήτε ἄελπτ' ἐλπίζειν, μήτε τι λήθειν.

Legi potest: μή τιν' ἄελπτ' ἐλπίζειν μηδέ τι λήθειν, aut quod simplicissimum est μήτ' ἄελπτ', quia in tali vocabulo productio nullam habet offensionem. Contra v. 70:

ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς

ubi legitimus est hiatus in caesura tertii pedis, nulla fortasse emendatione eget. Certe in poetis Alexandrinis non valet haec excusatio. Itaque apud Nicandrum, Alex. 562:

φύλλα καθεψηθέντα, ὅσους ἀνεθρέψατο πεύκη

scribendum est e codice Parisino, cuius scripturam editio Coloniensis retinuit, φύλλα καθεψήσειας. Ib. v. 79:

ἀφρὸς ἐπιστύφων ἐμπλάσσεται· ἀμφὶ δὲ ὁλκὸς
τέτρηχε γλώσσης

recipiendum erat e codicibus ἀμφὶ καὶ ὁλκός, sicut v. 577:

ἄμμιγα δὲ ῥίζας ἠρύγγιδας· ἐν δὲ ἐπαρκές

meliorem scripturam ἐν καὶ ἐπαρκὲς suppeditat liber Gottingensis. V. 437:

ἀμφὶ δὲ ὀδμήεις καμάτῳ περιλείβεται ἱδρώς

Gerhardius lectt. Apollon. p. 180 ἀμφὶ δ' ἄρ ὀδμήεις proposuit, sed hoc quoque in loco optimi libri, inter quos Parisinus et Gottingensis, ἀμφὶ καὶ habent. In eiusmodi vero hiatibus, quales sunt δὲ οἱ, ἐπὶ οἱ, τε οἱ, τι οἱ, δὲ ἑ, neque non φλογὶ εἴκελος Ther. 800, ἀλώια ἔργα v. 113, ἱερὰ ἔργα Alex. 567, τὰ ἕκαστα v. 837, praevierunt Homerus, Hesiodus, alii. De ἐνάσσαο ἧχί τε Alex. 7, conferri iubet Hermannus Hom. Il. Ξ, 76: καθείατο ἧχι. Num ὑπὸ οὔθατι Alex. 358, περὶ ἄψεα Ther. 280, excusentur per caesuram in quarto dactylo factam, nescio. De οἱ δὲ πρὸ ἄλλης, Gerhardius l. l. p. 179 'non in fine quinti pedis', inquit, 'excusationem habet, sed in coniunctione verbi et monosyllabae praepositionis'. Cf. Hermann. Orph. p. 737.

Multa eiusmodi vitia supersunt in Anthologiae epigrammatis, quae pro diverso poetarum et aetatum ingenio ad diversas normas exigenda mihi videntur. Etenim pulcherrima carmina Meleager, Antipater Thessalonicensis, Strato aliique composuerunt, foedis aliorum versificatorum conaminibus haud raro obtecta et paene extincta: quorum ea maxime displicuerunt, quae in primo libro ad Christianos referuntur auctores, alia quavis laude quam metrica digna. Interdum vero vel hic dubium videbitur, quid

ab ipsis profectum sit auctoribus, quidve librariorum socordiae tribuendum. Certe eum versum, plus uno vitio laborantem, A. P. I. 31, 1:

παμμεδέοντα, ἄνασσα, θεοῖο γόνον, τεὸν υἱόν,

sic emendare non dubito, ut legatur inverso ordine:

παμμεδέοντα θεοῖο γόνον, τεὸν υἱὸν ἄνασσα.

Severissime sine dubio castigandi sunt ii Anthologiae versus, quorum auctores a Nonni et aequalium disciplina profecisse videmus, Agathiae dico Scholastici, Iuliani Aegyptii, Macedonii, Palladae Alexandrini, Paulli Silentiarii. Itaque Agathiae versus, A. P. VI. 79, 5:

αἴσιον εὑρήσεις τὸ ἐπαύλιον· ἐνθάδε γάρ σοι
Ἠχὼ τερπομένη καὶ γάμον ἐκτελέσει.

ita emendandos esse censeo, ut in priore versu *καὶ ἐπαύλιον*, in secundo *τὸν γάμον* scribatur. Apud eundem IX. 653, 5:

ὑψόθι εἰσενόησα θαλασσαίην περιωπήν.

post *ὕψοθι* inserendum est *δ'*, itemque XI. 365, 7 legendum est *τόδ' ἀρούρων.* Fine quarti pedis excusatur apud Palladam hiatus, his in versibus: VII. 681, 3. X. 44, 3. 79, 1 neque magnam offensionem habet *τὸ ἁγνόν* in hexametri clausula IX. 393, 3. Contra corruptum illud carmen IX, 134, quod metricis vitiis scatet profectum esse a Pallada, vel propter hiatus persuadere mihi non potui.

Apud Paullum Silentiarium, egregium versificatorem et poetam pro aetate sua haud mediocrem, ecphr. amb. 86 Bekk. pro *ἄλλοθι ὁρμηθεῖσα,* Graefius *ἄλλοθι δ' ὁρμ.* proposuit: potest etiam *ἄλλοθεν* scribi, nam multa apud recentiores epicos prostant exempla, quibus utramque adverbiorum terminationem, parum accurate distinctam esse apparet.

Apollinaris Laodicenus frequenter admisit hiatum in caesura trochaica (cf. Ps. V, 2. VI, 16. XV, 1. XVII, 54. 91. XXI, 29. XXIV, 9. XXX, 1. 20 rell.) et in fine quarti pedis (IV, 3. XXXV, 8. XXXVII, 9. LIX, 21. LXXVI, 34; sed *μονορηματικῶς* scribatur *περίαλλα* XLIV, 4 et XLIX, 15). Num per finem quinti pedis excusentur Ps. XVIII, 3: *προσερεύξατο ἦμαρ,* XXI, 31: *κυκλώσατο ὅσσοις,* LXXXI, 5: *διαείσετο ὕβριν,* nescio. Sed V, 14: *σεῖο με ἡγήσαιτο δικαιοσύνη,* leg. *σεῖο δέ μ' ἡγήσαιτο.* X, 14: *πῦρ, θεῖόν τε ὁμοῦ,* l. *πῦρ καὶ θεῖον ὁμοῦ.* Addito *δ'* post *οὔνομα* emendatur XXIV, 29, post *μέλψατε,* LXVII, 78, post *τι* LXXX, 18. Ps. XVI, 2: *ἱκεσίῃσί τε ὄμμα,* l. *ἱκεσίῃσίν τ' ὄμμα.* Ps. XVII, 57:

ἐσθλῷ ἀνέρι πάντα μεμιγμένος ἐσθλὰ ἀκούσεις

l. *ἐσθλῷ δ'* et *ἐσθλ' ἐπακούσεις.* Ps. LXXVII, 55:

ἀθανάτῳ τε ἄληκτον ἐμὴν θεῷ ἐλπίδα θέσθαι

l. *ἀθανάτῳ τ' ἄληκτον.* Sic XXIV, 10 scribendum est *λισσόμενός τ' ἄληκτα.* De Ps. XXXVII, 17:

ἄφθιτε, ἀλλ' ἐμὸν αὐτὸς ἀποπτεύσειας ἐέλδωρ

utrum scribendum sit *ἄφθιτος*, an ex interpunctione veniam accipiat hiatus, non liquet. Corrupti maneant XXXIII, 40: *καταφθείροιτο ἑαχθέν*, XLI, 25: *πάντα ἔαχθεν*, XLIII, 28: *ἄμμι ὄνειδος*, reliqui.

Nullam rhythmicam habet offensionem hiatus, quotiens longa vocalis vel diphthongus ante vocalem corripitur, contra maximam, quotiens spondeorum in thesi producta manet. Itaque apud Callimachum, h. Iov. 78:

δεξιὸς οἰκιστὴρ, καὶ ὤμοσε τείχεα δώσειν

ὁ ante *καὶ* excidisse mihi videtur. Apud Nicandrum Alex. 87:

τῷ καὶ πρημαδίης ἢ ὀρχάδος εἶαρ ἐλαίης

scribendum videtur *ἠδ' ὀρχάδος*. Ther. 119:

δάγματι πλειοτέρη καὶ ὁλκαίην ἐπὶ σειρὴν

quo in versu vitioso hiatui supervenit prava caesura, Gerhardius l. l. p. 161. *ἐφολκαίην* coniecit, contra scholiorum auctoritatem: sed *πλειοτέρη* quia *κατὰ κοινοῦ* positum est, *καὶ τῷ δήγματι πλειοτέρη καὶ κατὰ τὴν οὐρὰν πλειοτέρη*, scribi potest *τε καὶ*. Ther. v. 92:

ἐσθλοῦ ἀβροτόνοιο δύω κομόωντας ὀράμνους
καρδάμῳ ἀμμίγδην, ὀδελοῦ δέ οἱ αἴσιον ὁλκήν,

multo emendatius e codice Parisino sic scribas:

ἐν μέν θ' ἀβροτόνοιο δύω κομόωντας ὀράμνους
καρδάμου ἀμμίγδην, ὀδέλου δ' ἔχοι αἴσιον ὁλκήν.

de *ἀμμίγδην* cum genetivo constructo, conferatur Ther. 912. Alex. 545. Quid Th. 562:

καὶ τὰ μὲν, ἂν σύμμικτα πιεῖν ἢ ἄνδιχα κόψας

olim scriptum fuerit, coniectura nondum inveni. Nam *ἀπάνδιχα* quod in codice Parisino invenitur, non in usu est: vulgatam vero scripturam: *πιεῖν δόθι ἄνδιχα κόψας* propter hiatum revocare dubito. Ther. 711:

δοιὰς ἀγροτέρου καὶ ἐκ ταμίσοιο λαγωοῦ

a Schneidero primum corruptus est, nam antiquiores editiones cum codicibus recte *ἀγροτέροιο* habent. In Aetolicorum fragmento, Schol. Ther. 215. dissert. de Nic. p. 25:

Οἰωνοῦ Ῥυπῆς τε πάγον καὶ Ὀνθίδα λίμνην

legatur *Ὀανθίδα*, de quo iam ab alio ni fallor dictum est viro docto.

Interdum vel Nonnici in Anthologia hoc vitio laborant, velut Agath. Schol. VI. 76, 1:

σὸς πόσις Ἀγχίσης, τοῦ εἵνεκα πολλάκι Κύπρι

ubi de corruptela cogitari vix potest, neque forma Homerica *ὅου* revocari, ab his poetis aliena. Contra XI. 376, 9:

ἢ σοὶ, ἢ τῷ ἑλόντι τεὴν θεράπαιναν, ἀνάγκη

leg. *ἠέ σοι*, quam emendationem iam Gerhardium proposuisse, postea vidi. Macedonii vero versus A. P. X. 70, 3:

παίζομαι, εἰ βροτός εἰμι. βροτὸς δ' εὖ οἶδα καὶ αὐτός

excusatione non magis eget, quam Callim. h. Iov. 78: *λύρης εὖ εἰδότας οἴμους*. Apud Tryphiodorum v. 488: *εἰ μή οἱ βλοσυρῶπις* scribendum videtur *εἴ οἱ μὴ βλ.* cf. v. 465.

Multum hac in re peccavit Apollinaris, neglegentior ille paullulum in versuum structura, qui in elocutione tantum ad Nonnicos accedit. Tamen apud hunc quoque facili medela adhibita sanari haud raro potest hiatus. Nam Ps. VIII, 15:

ἀγρονόμους τε βόας καὶ εἰροπόκων γένος οἰῶν

scrib. *τε καί*, item LXX, 40. LXXXI, 5. Ps. VII, 35:

κὰκ κεφαλῆς οἱ ἄλγος ἐπιστρέψειεν ἕτοιμον

fortasse olim fuit *κὰκ κεφαλῆς ἄλγος οἱ*, nam in brevium syllabarum productione multo frequentior est Apollinaris, quam in pravo admittendo hiatu, aut scribendum est *ἑοι* pro *οἱ*, quod vero parum placet. Duobus autem in versibus, LXX, 30:

καί οἱ αἰνετὸν ὕμνον ἔτι πλέον ἢ πρὶν ἀείσω

nec non XXXIII, 9 hiatus ex Homeri carminibus petitus est, quibus propter finem primi pedis addo XVII, 57. Duos praeterea inveni versus, qui per diaeresin a vitio metrico liberantur, nam XLII, 10 l. *εὐφρήνειε* et LXXII, 17 l. *εὐκλείῃ* (cf. LXXI, 42). Reliquos hiatus futuro horum carminum editori relinquo emendandos.

Quodsi in arsi longa vocalis producta manebat, hoc antiquorum epicorum vitiosum nemini videbatur. Recentiores vero, veriti fortasse, ne arseos moram nova remissione per hiatum facta nimis extenuarent, hic quoque cautius procedendum esse statuerunt. Itaque omnes in universum hunc vitaverunt hiatum, quem in formulis tantum quibusdam aut ex Homero petitis, aut communi usu receptis, Nonnici retinuerunt, de quo Lehrsius dixit, Quaestt. epp. p. 277 sqq. Poetae Alexandrini tamen in caesuris quoque ei locum concesserunt.

Nam ut de singulis exponam, frequentissimus est hiatus post varias substantivorum terminationes in caesura semiseptenaria apud Apollonium Rhodium, Nicandrum, Callimachum. Et Apollonius quidem substantiva hac in sede libenter ante praepositiones collocavit, vel vocabula cum praepositionibus composita. Velut: *Λαπίθαι ἐπιθωρήσσοντο* I, 42. *Φυλάκῃ ἔνι* v. 45. *Λιβύῃ ἔνι* v. 83. *χορῷ ἔνι* v. 265 adde v. 366. 367. 443. 601. 625. 673. 788. 861. 987. 1038. 1085. 1234. 1280. 1313. Praeterea huc transtulit formulas Homericas, velut I, 357. 390: *ἔσω ἁλός* cf. *Φ*, 125. v. 369: *ἵν' εὖ ἀραροίατο* cf. *X*, 128. *Ψ*, 42. *H*, 339. 438. v. 462: *μεγάλῃ ὄπι* cf. *Ξ*, 492. v. 828: *καί τοι ἅδοι* cf. *Z*, 245. v. 1203: *θοῇ ἀνέμοιο κατάιξ* cf. *Z*, 346. *K*, 54. *M*, 288. Nicander hiatum in semiseptenaria raro ante aliam vocalem quam *ε* admisit.

Porro longae vocales apud eosdem poetas productae manent in arsi

quinti pedis et tertii. In arsi secundi pedis tum tantum si aut molossus praecessit aut choriambus, a qua lege raro desciverunt. Primo in pede hiatus in universum vitatur, extat tamen post ἢ, οὖ, οἷ, τῇ etiam post καὶ. Callim. h. Dian. 217: καὶ ἓ κυνηλασίην. Apoll. Rhod. I, 362: καὶ ἓ νέον.

Quintum Smyrnaeum in admittendis hiatibus dactylorum post arsin recentioribus epicis aut neglegentiorem fuisse, aut quod verisimilius sit, consulto propius ad Homericam consuetudinem accessisse, accuratissime Arminius Koechly exposuit, Prolegg. in Quint. p. XXXII sqq. Lehrsii disputationem de Nonno nolo ad verbum exscribere. Apud Tryphiodorum inveni primo in pede Homericum εὖ εἰδὼς v. 173, καὶ οἷ Δηίφοβος v. 465, quod vereor num rectum sit, et semel in tertio pede: ἄμμι δ' Ἀθηναίη ἐρυσίπτολις v. 302. Duos hiatus habet Musaeus, quorum alter v. 38:

ἀλλ' αἰεὶ Κυθέρειαν ἱλασκομένη Ἀφροδίτην

excusatur nomine proprio, alter v. 188:

ᾧ ἔνι ναιετάουσα σὺν ἀμφιπόλῳ τινὶ μούνη

etiam Nonno familiaris est. At v. 210:

μοῦνον ἐμοὶ ἕνα λύχνον ἀπ' ἠλιβάτου σέο πύργου,

τινα pro ἕνα iam Lehrsius proposuit, Quaestt. epp. p. 278. Apud Colluthum nullum hiatum in arsi inveni. Etiam in epigrammatum hexametris hoc hiatus genere abstinuerunt poetae. Quod apud Agathiam legitur, A. P. V. 282, 1:

ἡ ῥαδινὴ Μελίτη ταναοῦ ἐπὶ γήραος οὐδῷ

ortum est ex similitudine Homerici: ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ Ω, 487. Apud Iulianum Aegyptium, IX, 798:

τλῆθι Μύρων· τέχνη σε βιάζεται ἄπνοον ἔργον.
ἐκ φύσεως τέχνη. οὐ γὰρ φύσιν εὕρετο τέχνη

nescio utrum ferendus sit hiatus propter interpunctionem, an scribendum: τέχνη δ' ἐκ φύσεως. Cum a Pallada compositum esse IX, 134 non credam, unus apud eum superest hiatus, X. 55, 1:

ἂν πάνυ κομπάζῃς προστάγμασι μὴ ὑπακούειν

de quo alii videant. Plura habet Paullus Silentiarius in epigrammatis, Cf. V. 241, 7. 279, 1. 281, 1. VI. 75, 1. 84, 1 contra in ecphrasi Sophiae duo tantum inveni exempla ᾧ ὑπὸ v. 143 et ᾧ ἔπι v. 284, in quinto pede utrumque positum. Apollinaris plane ad Homericum usum rediit.

Inter eos hiatus qui aliquam offensionem propter vocis remissionem habent, ii quoque referendi sunt, quotiens diphthongus in secunda brevi dactyli corripitur. Sed in secundo tantum et tertio pede haec remissio molesta est: non in quarto, quia diaeresis ibi facta ordinem rhythmicum claudit et prorsus metricae caesurae dignitatem obtinuit: non in primo,

propter vicinitatem exordii, neque quinto in pede propter vicinitatem clausulae versus. Quae cum ita sint apud omnes poetas Alexandrinos ea valet lex, quam de uno Nonno Lehrsius proposuit, Quaestt. epp. p. 267, post varias nominum verborum et particularum terminationes concessum esse hiatum primo, quarto et quinto in pede. Contra secundo et tertio pede post *καὶ*, *τοῖ*, *μὴ*, *ἤ*, eas igitur voces, quae procliticorum instar ad sequentia proxime accedunt. Sed secundo in pede vel sic raro diphthongus corripitur, cuius rei apud Callimachum ne unum quidem, apud Nicandrum haec tantum inveni exempla Ther. 222. 445. 729. 894. Cur autem in caesura bucolica nunquam *καὶ* corripi potuerit, per se apertum est. Quintus Smyrnaeus ab Alexandrinorum consuetudine non recessit. Nonnici verborum formis paene solo quarto in pede locum concesserunt, et secundum pedem fere omnibus liberaverunt correptionibus, quarum apud Tryphiodorum quinque tantum prostant exempla, v. 181. 272. 546. 564 (*καὶ*). 288 (*μοὶ*), nulla apud Musaeum et Colluthum. Hic autem omnium accuratissimus hac in re fuit: nam tertio in pede post *καὶ* hiatum admisit quadragies octies, bis in quinto pede v. 266. 352, ter in primo v. 11. 57. 361. Verborum formas duas tantum corripuit, *ἔρχεται Ἄρης* v. 35 quinto, et *ἕψομαι ὡς* v. 313 primo in pede.

Correptio longae vocalis vel diphthongi in prima brevi dactyli etiam diligentius vitata est ab his poetis. Et recte, quia a mediis pedibus nisi post tertium trochaeum, omnis vocis remissio prorsus abesse debet. Saepe tamen corripitur diphthongus in primo, tertio et quinto pede. Nunquam propter vitiosum trochaeum in quarto pede, nisi post *καὶ* ad normam Homerici versus

ὣς ἔφατ' ἔδδεισεν δ' ὁ γέρων καὶ ἐπείθετο μύθῳ

cf. Apollon. Rhod. I, 151. 604. 676. 854. 1305. Tamen vel hoc raro tantum fieri potuit, quia secundum ordinem per semiseptenariam claudere poetis Alexandrinis displicuit. Rarissime autem in secundo pede invenitur hiatus. Nunquam apud Callimachum, semel ni fallor Ther. 811, apud Nicandrum. In Apollonii et Quinti primis libris quaterna tantum inveni exempla, A. 231. 326. 479. 1080, Q. 33. 491. 527. 580. De Quinto notandum est, Arminium Koechly qui propter insolentiorem correptionem versus clausulam *ἐβλάβη ἦτορ* V, 509 a Bonitzio propositam recte reiecit, nimis tamen severe reiecisse versus initium I, 618: *πρέμνῳ ἐν ὑψικόμοιο*, de quo Spitznerus cogitaverat. Etenim *ῳ* dativi cum apud reliquos poetas, tum apud Quintum in hac versus sede ante *ε* haud raro corripitur, velut I, 802: *πύργῳ ἐπὶ προὔχοντι* (Hom. Il. X, 97). III, 471: *κόλπῳ ἐμῷ*. IV, 27: *κείνῳ ἔναντα*. Adde V, 113. 343. 655. VII, 467. 480. VIII, 322. 388. 406. IX, 201. 429. X, 201. XIII, 322. XIV, 307.

Apud Nonni sectatores (de Nonno ipso cf. Lehrs. l. l. p. 272 sqq.)

hiatum inveni his in locis. In primo pede: τόν σοι Ἔρως Mus. 149, αἰδοῖ ἐρυθριόωσαν v. 161, εἴ που ἐσαθρήσειεν v. 334. Coll. 285. In secundo pede post οἱ Tryph. 175. 184, post καὶ Mus. 4. 16. 178. 298. 303. 329. οὔ σοι ἔοικε ib. 126. In tertio post καὶ Tryph. 52. Mus. 95. 265. Coll. 80. 291. In quarto post καὶ Tryph. 269. 418. 448. Mus. 27. In quinto denique ter apud Colluthum in formula Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων v. 279. 288. 307. Apud eundem v. 365 corruptus est. Reliquorum hiatus enumerare non attinet.

CAPUT SEPTIMUM.

DE INTERPUNCTIONE IN VERSU HEROICO.

A quaestione de hiatu aptus est transitus ad interpunctionem. Nam quemadmodum hiatus, si certis quibusdam versus heroici sedibus pravam infert vocis remissionem, vitiosus est, sic etiam interpunctio abesse debet a quibusdam sedibus eandem ob caussam. Atqui legitima est vocis remissio in masculis caesuris secundi, tertii et quarti pedis, post tertium trochaeum, post quartum dactylum, naturalis adeo in versuum clausulis. Ergo in his quoque sedibus ferri potest interpunctio. Contra vitiosa erit in media secunda et quarta thesi, nec non post secundum, tertium et quintum dactylum. In thesi primi dactyli saltem non est venusta.

Et Nonnus quidem has leges accurate observavit. Cf. Gerhard. Lectt. Apoll. p. 220. Sed etiam reliqui poetae. Hoc autem ne cui temere a nobis dictum videatur, primum quaerendum est, quanto omnino ex grammaticae legibus interpunctionem admiserint veteres grammatici. Nempe hac in re neglegentiores paullulum recentiores fuerunt, qui prorsus arbitrariam interpunctionem et novas notas in antiquos textus intulerunt, et omnino doctae antiquitatis nullam rationem habuerunt.

Grammaticorum autem de interpunctione praecepta ad ea redeunt, quae in Dionys. Thrac. gram. B. A. II. p. 630, 5 leguntur. Tres tantum esse στιγμὰς, h. e. notas interpunctionis, τελείαν, μέσην, ὑποστιγμήν. Priorem poni in fine consummatae sententiae: secundam spiritus caussa interdum adscisci: tertiam vero notam esse sententiae nondum consummatae, sed supplemento adhuc egentis. Differre autem τελείαν ita ab ὑποστιγμῇ, ut illa magnam vocis remissionem, haec perbrevem exigat.

Hoc Dionysii praeceptum Scholiastae p. 758 sqq. ita amplificarunt, ut primum Melampus, μέσην non esse veram στιγμὴν rectissime statueret. Etenim poni μέσην quotiens in longioribus enuntiatis quam quae uno

tenore recitari possint, spiritus legentem deficiens paullisper vocem inhibere cogat. Non vero ab omnibus hominibus pro vario pulmonum robore, totidem vocabula uno tenore recitari posse. Itaque usum *μέσης* ex arbitrio vel potius infirmitate pendere legentium, non vero e ratione grammatica, id quod in veram *στιγμὴν* unice cadat. *Ὑποστιγμὴν* autem eas enuntiatorum partes indicare, quae ad claudendam sententiam alias praeterea expetant: poni autem hanc notam, superveniente enuntiato conditionali et relativo (*ἐν ταῖς συναπτικαῖς τε καὶ ἀναφορικαῖς τῶν φράσεων*) porro post, non ante imperativos in affectuoso, non in qualicunque sermone (*μετὰ τὰς ἐν ἤθει ἢ πάθει κλητικάς*), velut:

Τυδείδη· μήτ' ἄρ με μάλ' αἴνεε. μή τέ τι νείκει.

Ceterum variae interpunctionis unam esse notam, punctum modo supremis (*τελεία*), modo mediis (*μέση*), modo imis litteris (*ὑποστιγμὴ*) appictum.

Has interpungendi regulas, primus immutavit Nicanor (l. l. p. 763, 10), qui octo interpunctionis notas esse statuit, quarum septem cum nostro puncto, octava cum virgula conveniebat. Primam vocavit *τελείαν*, quam *ἐν τῷ μέσῳ τόπῳ* litterarum appinxit in fine enuntiati, quod proximum per asyntheton excipiebat, velut

μάντι κακῶν, οὔ πώ ποτέ μοι τὸ κρηγύον εἶπας·

Secundam *ὑποτελείαν*, quae convenit cum Dionysii *ὑποστιγμῇ*, ante *δὲ, γὰρ, ἀλλὰ, αὐτὰρ* et similia, velut

ἡρόων. αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

Et secundum Nicanorem quidem *ὑποτελεία* eundem locum iuxta litteras tenebat quem *τελεία*. Apollonius vero eam paullo infra litterarum medium pingendam esse censebat. Tertia nota *πρώτη ἄνω* vocabatur, litterarum capiti appicta, post *μὲν, ἤ, οὐ* quotiens ad sequens *δὲ, ἤ, ἀλλὰ* respiciebant, velut

αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι·

Quarta *δευτέρα ἄνω*, forma et statu a *πρώτῃ ἄνω* non diversa, nisi quod additam habebat *διπλῆν ἔξωθεν*, ante *καὶ* velut:

καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο·‹

Quinta *τρίτη ἄνω*, quam *διπλῆ ἔσωθεν* sequebatur, ante *τε*, velut:

Κίλλαν τε ζαθέην·›

Sexta *ὑποστιγμὴ ἐνυπόκριτος*, infra litteras posita paullo ad dextram vergens, in rectis periodis, hoc est post *ὄφρα, ἦμος, ὅτε, ἕως, ὅπου* quibus in proximis *τόφρα, τῆμος, τότε, τέως, ἐκεῖ* respondebant, velut:

ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς.

Septima *ὑποστιγμὴ ἀνυπόκριτος*, ad dextram non vergens, usu veniebat in minoribus colis inter rectas periodos earumque antapodoses positis. Itaque in Iliadis loco, *Γ*, 33:

ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
οὔρεος ἐν βήσσῃς. ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα.
ἄψ τ' ἀνεχώρησεν. ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς.

post *βήσσῃς, γυῖα, ἀνεχώρησεν* septima, contra post *παρειάς* sexta interpunctio locum tenebat. Octava denique nota, *ὑποδιαστολὴ* (p. 765, 10) de qua p. 761, 23 obscure haec traduntur: *διαλλάσσει δὲ στιγμὴ διαστολῆς* (haud raro confunduntur a grammaticis *διαστολὴ* et *ὑποδιαστολὴ*, nam proprie *διαστολὴ* illud est, quod nos in universum interpunctionem vocamus)· *ἡ μὲν γὰρ στιγμὴ τὰ πνεύματα διίστησιν, ἡ δὲ ἅμα τοῖς πνεύμασι καὶ τὰς διανοίας,* — ponebatur in periodis inversis, velut:

ἄλλοι τε Τρῶες. μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ,

ἐνταῦθα τίθεται ἡ ὑποδιαστολή, ἐπιφέρεται γὰρ τὸ εἰ σφῷιν, καὶ ποιεῖ ἀντεστραμμένην τὴν περίοδον. ἡ γὰρ ὀρθὴ περίοδος ἦν· εἰ σφῶιν τάδε πάντα πυθοίατο ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος.

Hactenus de Nicanoris praeceptis, quibus plena sunt scholia Iliadis Veneta, et quae a Zonara repetuntur in lexico. Sed quia subtiliora fuerunt neque accommodata ad metricam heroici versus naturam, parum reliquis grammaticis placuisse videntur, qui in antiquo usu perstiterunt. Saltem Theodorus Gaza in gramm. p. 701 ed. Basil. tres tantummodo Dionysii notas commemorat, neque aliter Lascaris, siquidem ea intellexi, quae Buttmannus hac de re in grammatica ampliore tradidit. Atque ad antiqua illa Dionysii praecepta in poetarum Alexandrinorum carminibus a nobis quoque interpungendum est. Deleatur itaque innumera virgularum multitudo, quibus Callimachus imprimis abundat, removeantur signa parentheseos, exclamationis, interrogationis. Etenim hoc quoque ab Aldo demum inventum est, ignotum vero librariis et grammaticis, et prorsus inutile, cum in lingua Graeca paene omnia enuntiata interrogativa a pronominibus aut particulis interrogativis incipiant. Remotis autem his omnibus, ut par est, etiam poetae Alexandrini in interpungendi ratione cum Nonno convenient.

Accedit alia veterum grammaticorum lex, *ὅτι ἡ ἀπόστροφος ἑνοῖ,* cuius auctorem Porphyrium exhibent Villoisoni Anecd. II, 103. cf. B. A. 1140 sqq., Herodianum vero agnoscere videtur Priscian. II. §. 3, quae sine dubio eo valet ut post ea vocabula quorum ultima vocalis per elisionem sublata est, nullum unquam interpunctioni locum concedamus. Quod nisi verum esset ne hoc quidem intelligi posset, quomodo veteres grammatici *θλῖψιν,* ita enim illi elisionem vocant, cum synaeresi et crasi, tamquam varias species ad unum *συναλοιφῆς* genus referre potuissent, qua de re multis in locis multi eadem tradiderunt. Bene hac de re disputavit K. Schmidtius Sedinensis, vir doctus, in Muetzellii Ephem. IV, 8. p. 623 et olim in Seebodii bibl. crit. nova, I. p. 382.

Sane haec levia sunt et pusilla, philologo tamen non contemnenda, neque hoc in loco propter metricas rationes omitti poterant. Iam vero longum est singulos enumerare versus, qui vitiosa interpunctione e nostris legibus laborant. Itaque in uno consistam exemplo eoque luculento. Apud Agathiam Scholasticum, A. P. V, 267 ubi in primo versu sic distinguitur:

τί στενάχεις; φιλέω· τίνα; παρθένον. ἦ ῥά γε καλήν;

removendum est signum interrogationis in fine tertii pedis, et uni tribuendum interlocutori *φιλέω τίνα παρθένον.* Nam mihi quidem certum est neminem de amore suo confessum, quaerenti quem tandem amet, simpliciter responsurum esse, puellam.

Sed iam in his subsistendum. Nam demonstrare proposui, parum interesse inter metricam Nonni et poetarum Alexandrinorum rationem, idque re vera demonstratum esse censeo. Fontem quoque indicavi unde mira illa tamque severa praecepta metrica fluxerint. Quae praeterea supersunt quaestiones, de productione brevium syllabarum per arsin factam, de correptionibus Atticis, de omisso augmento, de synizesi et apostropho, leviores sunt, neque habeo quae nova post aliorum curas hoc quidem in loco de iis proferam.

COMMENTATIO SECUNDA.

DE DELECTU VOCABULORUM A NICANDRO EXHIBITO.

Doctorum virorum, quae olim de ingenio poetarum Alexandrinorum ferebantur iudicia iniquiora paullulum, recentiore demum aetate ad iustum finem redierunt, ubi non tam poetica virtus vel argumenti venustas, quam docta fabularum cognitio, artificia dictionis, elegantia numerorum ab illis scriptoribus coeptae sunt exigi. Quotquot enim Ptolemaeorum saeculo versibus componendis operam dederunt, docti viri erant, qui reconditae eruditionis laudes unice sectabantur: boni grammatici, non poetae, qui ostentationis caussa, sicut postea ἐπιδείξεις suas sophistae, carmina composuerunt artificiosa, quibus universam suam doctrinam tamquam in unum locum congestam, lectorum oculis proponerent et qualicunque elegantiae specie commendarent.

Eas autem indagare rationes quas in conficiendis istis exercitationibus secuti sint illi poetae, quatenus elocutionem spectant et metricam artem, mihi semper iucundum fuit. Ac primum quidem sermonem Homericum a quo profecti sunt, vocabulis formisque insolentioribus undecunque collectis locupletaverunt. Quae recondita apud Homerum erant vocabula vel obscura, interpretati sunt et in sua transtulerunt carmina. Anomalias autem grammaticas cum ab Homeri doctrina repeterent, quasi consilio et industria a Maeonio formata essent omnia, ita imitati sunt poetae Alexandrini ut ad analogiam earum multa et ipsi in rebus grammaticis temere et inepte novarent, id quod Buttmannus copiose in Lexilogo ostendit, aliique post eum. Praeterea audacissime interdum nova vocabula formaverunt: novas formas paraschematistas invenerunt, exquisitiores quasdam significationes per metaphoras et tropos vocabulis tribuerunt: denique notissima quaeque, quasi indigna poetico sermone sedulo vitaverunt.

Hoc autem commune omnium, qui illa aetate floruerunt, poetarum erat, quos Callimacho inprimis auctore, nam a Callimacho ne Apollonio quidem ὁμηρικοτάτῳ illo excepto, tamquam a novo Homero toti pendebant, eandem fere poesis viam tenuisse scimus, quam Platonis aetate primus Antimachus erat ingressus. Eorundem vero, quibus doctrinae vel

summam laudem tribuere non dubitamus, bonum poetam praeter Theocritum et Apollonium in minoribus quibusdam Argonauticorum digressionibus, agnoscimus neminem. Nam mihi quidem frigidissimi visi sunt Callimachus, Aratus, obscurissimi Lycophro, Euphorio, ineptissimus autem Nicander, quia vix ullum hominem extitisse censeam, qui ingenii sterilitatem affectata et contorta elocutione adeo velaverit et quasi nubibus obtexerit, qui tenuissimum quodque tanto verborum strepitu et tumore pronuntiaverit, quam Colophonium illum.

Et ne cui haec temere dixisse videar in paucis quibusdam eius versibus consistere liceat, qui risum semper moverunt, et nisi a Nicandro essent conscripti, parodiarum quovis vel satirarum scriptore digniores viderentur, et inventi ad nimias versificatorum ineptias acerbe castigandas haud inficete. Quis enim unquam comam Apollinis Delphici, *Φοίβοιο Δελφίδα χαίτην* (Alex. 200) vocavit, quis ferulae medullam, qua Prometheum furtum abscondidisse ferebant Graeci, per

νάρθηκος νεάτην νηδύν
ὅστε Προμηθείοιο πυρὸς ἀνεδέξατο φωρήν

circumscripsit? At in Alex. 215 sqq. paene se ipse superavit Nicander, ubi sermonem de eo instituit, qui toxico venenatus est:

αὐτὰρ ὁ μηκάζει μανίης ὕπο μυρία φλύζων,
δηθάκι δ' ἀχθόμενος βοάᾳ, ἅτις ἐμπελάδην φώς
ἀμφιβρότην κώδειαν ἀπὸ ξιφέεσσιν ἀμηθείς.

Sed quid hoc est, inquit? Adverbium *δηθάκι* i. e. *πολλάκις*, quod apud Oppian. V, 48 et saepissime apud Cynegeticorum auctorem redit, cf. Lehrs. Quaestt. epp. p. 320, fortasse invenit Nicander. Etiam quod in secundo versu legitur *ἐμπελάδην*, est *ἅπαξ εἰρημένον*, quod cum *ἐμπελαδὸν*, prope, iuxta, apud Hesiod. Opp. 732 et si qui hunc imitati sunt, parum convenit. Diversas huius vocabuli interpretationes proferunt scholiastae, quorum alter, qui *καὶ γὰρ ἐνίοτε*, inquit, *πλησιάζοντος αὐτῷ ἀνθρώπου τινὸς μισανθρωπίαν νοσῶν καὶ βαρούμενος προΐεται φωνὴν ὡς ἀποκεφαλιζόμενος κτλ.*, legisse videtur *ὅτε τις πελάσῃ φώς*, id quod per grammaticas leges hoc in loco ferri non posse recte iam Schneiderus animadvertit. Alter habet: *ἐμπελάδην οἱονεὶ ἐμπελαστικῶς καὶ ὁρμητικῶς, ὁποῖά τις φὼς κτλ.* cui interpretationi tum demum favebit hic locus, si inverso ordine scripseris:

δηθάκι δ' ἐμπελάδην βοάᾳ, ἅ τις ἀχθόμενος φὼς

id quod re vera recipiendum mihi videtur. Porro *ἀμφιβρότη* apud Homerum *ἀσπὶς* vocatur, quae totum corpus tuetur et circumdat, quem haud inepte secundum Schneiderum Empedocles apud Plut. Quaestt. Symposs. V, 8 ita imitatus est, ut *ἀμφιβρότην χθόνα, τὸ τὴν ψυχὴν περικείμενον σῶμα* vocaret. Sed boni Nicandri mentem optime scholiastae pene-

traverunt, *ἀμφιβρότην τὴν ὅλον τὸν ἄνδρα συνέχουσαν κεφαλὴν* interpretati, nempe caput, utpote animae sedem, totum corpus continere dicit. *Κώδειαν* denique caput vocavit, secundum Homerum, Ξ, 499. Iam vero singulis ita explicatis, ut tandem 'remotis vepribus ac dumetis, ad rem ipsam, tamquam ad Archimedis sepulcrum diu ignoratum aditus patefieret', hanc praeclarissimam habemus sententiam: is autem caprae vocem imitatus, prae insania multa futilia deblaterat, saepe autem vehementer clamat, velut homo doloribus excruciatus, cui caput, corporis principium, gladio demessum est.

Sed in his diutius subsistere nolo. Non enim exponendum est, quid displicuerit in Nicandro sed quanto opere summa eius doctrina e reconditis vocabulis undique congestis conspiciatur, et quamnam interpretandi rationem in obscurioribus vocabulis Homericis secutus sit. Et cum omnia vocabula, quotquot apud Nicandrum inveniuntur, in quatuor ordines distribui possint, aut enim Homerica sunt, aut glossae docte ex aliis scriptoribus vel dialectis petitae, aut ipsi cum reliquis poetis Alexandrinis communia, aut ipsius denique propria maximamque partem *ἅπαξ εἰρημένα,* per quattuor capita etiam mea disputatio procedat.

CAPUT PRIMUM.

DE VOCABULIS HOMERICIS APUD NICANDRUM.

§. 1.

Vocabula Homerica primum ea commemorare licet, quae usum aliquantum inflexa potestate mutaverunt. Nam saepe ea quae Homerus certis definitisque notionibus adstrinxit, Nicander velut vinculo soluta admisit, et paene ad contrariam traduxit notionem quam quae apud Homerum eorum propria erat. Qua in re ipse Callimachum plerumque secutus, alios deinde poetas aequales nactus est imitatores. Et substantiva haec quidem inveni:

ἀήτης. proprie est flatus. *ἀήτης ἀνέμων* dicit Homerus Il. Ξ, 254. Cf. Hes. Opp. 623. *ἀήτης Νότοιο* ibidem v. 677. Apud recentiores poetas omisso *ἀνέμων,* iam per se ventum notat, qua in re Antimachus fortasse praeivit, in quem Platonis verba cadere videntur, Cratyl. p. 410, 13: *οἱ ποιηταὶ τὰ πνεύματα ἀήτας καλοῦσι.* Cf. Callim. h. Dian. 230. h. Del. 318. ep. 5, 3. Theocr. 2, 28. Ap. Rhod. I, 423 335. IV, 766. 1263. 1537. Nic. Ther. 269. Coll. 234. Apud Nonnum nihil frequentius.

αἰζηός iuvenis, aut cum *ἀνὴρ* coniunctum, Hom. *Π*, 716. *M*, 80 aut per se positum *Ξ*, 14. *Y*, 161. Hes. Theog. 863. Apud eundem vero Opp. 441, de viro quadragenario usurpatum. Similiter apud Alexandrinos omnino hominem notat. Callim. h. Iov. 70, ubi scholl.: *αἰζηῶν νῦν καθόλου λέγεται τῶν ἀνθρώπων.* Apoll. Rhod. IV, 268: *μήτηρ Αἴγυπτος προτερηγενέων αἰζηῶν.* Nic. Alex. 176. Ther. 343.

ἀνθερεὼν apud Homerum de virili tantum mento in usu est, quapropter *ἀνθερεῶνα παρὰ τὴν ἄνθησιν τῶν τριχῶν* dictum esse, censebant grammatici. Cf. Scholl. Il. *A*, 501. Etym. M. p. 109, 30. De Euphorione, qui *μητρὸς ἀπ' ἀνθερεῶνος* dixit, deque nota quam ideo a grammaticis accepit, videatur Meinek. Anall. Alex. p. 92. Ad serpentis maxillam traduxit Nic. Ther. 444. Apud Nonnum simpliciter os significat. III, 247. IX, 60. XV, 367.

αὖλις apud Homerum domicilium pernoctantium est. *αὖλιν θέσθαι* I, 232. aves *αὖλιν εἰσιέναι* dicuntur, *X*, 470. Cf. h. Merc. 71. restrictam hanc vocabuli notionem retinuerunt Theocr. 25, 18. Apoll. Rhod. I, 577. IV, 1291 *αὖλιν ἑλέσθαι.* Apud eundem vero etiam domicilium in universum notat, velut I, 1173. II, 1. praeeunte Callim. h. Dian. 87, ubi antrum Panis, *Ἀρκαδικὴ Πανὸς αὖλις* vocatur. h. Cer. 106: *αὔλιες τετραπόδων*, adde fr. 126: *Νασαμώνων αὖλιν.* Propius ab Homero abest Nicander Ther. 58, qui noctem *αὖλιν ἄγειν* dicit.

γένειον apud Homerum et Tragicos mentum est, mentum barbatum, barba. Apud Nicandrum Ther. 52. 374, maxilla Cf. Antip. Sid. in A. P. VII, 351: *πρίειν γένειον ἀφριόεν.*

ἐνωπῇ apud Homerum pro adverbio est, palam, manifesto. *E*, 374. *ἐνοπὴ* substantivum, facies, *πρόσωπον* Nicandri est proprium. Idem habet *ἐσωπὴν* Ther. 276. Opp. IV, 358.

θρόνα proprie in Il. *X*, 440 sunt florum ornatus in texturis. Cf. Hesych. s. v. *ἄνθη καὶ τὰ ἐκ χρωμάτων ποικίλματα.* Alexandrinis omnino sunt *φάρμακα*, herbae salubres. Lycophr. 674. Nic. Ther. 493. 936. Alex. 155. Apud Theocritum II, 59 sine dubio de herbis contusis intelligendum, vel de unguento, ubi scholiastae satis docte: *θρόνα, Θεσσαλοὶ μὲν τὰ ποικιλμένα ζῶα. Κύπριοι δὲ τὰ ἀνθινὰ ἱμάτια. Αἰτωλοὶ δὲ φάρμακα ὥς φησι Κλείταρχος. Ὅμηρος δὲ τὰ ῥόδα, παρὰ το ἄνω θορεῖν ἐκ τῆς γῆς.* Florem omnino denotat vocabulum apud Nonnum.

κῆδος quid apud Homerum sit, notum est. Ther. 2: *λύσιν θ' ἑτεραλκέα κήδευς*, ubi Scholl.: *σημαίνει δὲ τὸ κῆδος τρία, τὴν ἐξ ἐπιγαμβρίας συγγένειαν καὶ τὴν φροντίδα, καὶ τὸ κακὸν ὡς ἐνταῦθα*, h. e. apud solum Nicandrum.

κόρση apud Homerum et scriptores Atticos tempora significat. Totum

caput apud Nic. Ther. 905. Georg. fr. 3, 17. Cyneg. III, 25: *πάσσονα μὲν φορέουσι δέρην μεγάλην δέ τε κόρσην.* Sic Nonn. Dionys. I, 9 et saepius. Paullus Silentiarius Ecphr. 278 verticem lateralem sanctae Sophiae ita vocavit.

κτίλος, substantivum apud Homerum *ὁ ἡγεμὼν τῆς ποίμνης κριός.* Aliam notionem adiectivam teste Schol. Nic. Ther. 452 apud Hesiodum et qui hunc secutus est Empedoclem habuit vocabulum, *ἐπὶ τῶν ἡμέρων καὶ τιθασῶν.* Cf. Parthen. narr. 10: *κύνες οὖσαι οὐ πάνυ κτίλοι* et *κτιλοῦσθαι* verbum apud Herodotum IV, 113. Quid Nicander l. l. sibi voluerit, ubi draco *ὀρνίθων τε τόκον κτίλα τ' ὠεά* e nido abstulisse dicitur, satis apparet. Ther. 471, *κτίλα μῆλα* a Scholl. explicantur: *τὰ ἥμερα ἢ τὰ ἑπόμενα τῷ κτίλῳ ἤτοι τῷ προηγουμένῳ κριῷ.*

λάχνη proprie de crispa hominum coma in usu est. Nic. Ther. 331: *βλεφάρων δ' ἐξέφθιτο λάχνη.* Traductum ad animalium crines ab Hes. opp. 515. Apoll. Rhod. I, 323. Soph. Trach. 687. ad plantarum folia a Nic. Alex. 410. Opp. IV, 167. 380.

λίθαξ in Od. *ε,* 415 est adiectivum, significat id quod *λιθώδης* (de formatione Lobeckius ex Hesychio *σύβαξ, συώδης* contulit). Sed iam in Od. *ω,* 193 *πυκνῇσιν λιθάκεσσι,* densis lapidibus, olim legebatur. Cf. Eust. Od. *ξ,* 36. Itaque apud poetas Alexandrinos est substantivum et modo parvum lapidem, modo abruptum saxum significat et ita quidem promiscue cum *λιθάς* usurpatur. Cf. Lobeck. Pathol. p. 449. Sic Nic. Ther. 150. Arat. 1112. Orph. Argon. 611. Tryphiod. *λίθακες ἀνθηραί* apud Maneth. VI, 343 gemmae vocantur.

λοιγός Homero, Pindaro, Aeschylo aliisque substantivum est. Adiectivum pro *λοίγιος* Nic. Ther. 6. Eryc. A. P. VII, 368.

μῶλος labor, opera. Apud Nicandrum Ther. 32 et posteriores poetas (cf. *μωλοτήρ* in Anthologia) adiectivum est, i. q. *βραδύς.*

οἰωνοί ab Homero aves magnae vocantur, e quarum volatu auguria accipiebantur, aquilae imprimis et accipitres, quibus Il. *ρ,* 757 *ὄρνιθες μικραί* opponuntur. Poetis Alexandrinis omnino aves sunt, sive magnae sive parvae. Cf. Callim. h. Iov. 68. Apoll. Rhod. II, 344. III, 939 ubi columbae et cornices *οἰωνοί* vocantur. Nic. Ther. 405. Eutecnius autem Alex. 169 *οἰωνόν* interpretatus est per *δέλεαρ.*

ῥέθος. Il. *Π,* 856: *ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἄιδόσδε βέβηκεν. Χ,* 68 ubi Scholl.: *τὰ μέλη τοῦ σώματος* et *ζῶντα* quidem, *δι' ὧν ῥέζομέν τι* interpretantur. Artiorem faciei significationem, quam Eust. Il. *Π,* 1090 Aeolicam tradidit: *ἰστέον, ὅτι ῥέθος οἱ μὲν ἄλλοι τὰ μέλη φασὶν, Αἰολεῖς δὲ μόνοι κατὰ τοὺς παλαιοὺς τὸ πρόσωπον ῥέθος καλέουσιν,* interdum Tragici exhibent, Soph. Ant. 527. Eur. Herc. 1204. Secuti sunt Alexandrini, Apoll. Rhod. II, 68. Mosch. 4, 2. Nic.

Alex. 438. 456. Ther. 165. 721. Totum corpus significat apud Lycophronem.

Secundo loco adiectiva profero. De *ἀμφιβρότη* iam supra expositum est.

ἀμπελόεις illud vocatur, quod vitibus abundat. In Alex. 142 *καυλία ἀμπελόεντα* pro *καυλία ἀμπέλου* dictum est.

ἄρκιος apud Homerum et Hesiodum is appellatur, quo quis confidere potest, certus, paratus. Cf. Buttmanni Lexil. I, 35 sqq. Apud poetas Alexandrinos *ἄρκιος* est idoneus, qui aliquid potest. Cf. Naek. Callim. Hec. 253. Nic. Ther. 508. Sed Alex. 549. Ther. 837 *ἄρκιον, ἄρκια* sunt medicamina, pro duplici notione verbi *ἀρκέω* quod modo sufficere, modo arcere, adiuvare significat.

δασπλής. Homerum secutus, Od. *ο*, 234, Euphorio fr. 52 furias *δασπλῆτας* vocavit. Cf. Orph. Argon. 867. Theocr. 2, 14. Recentiores hoc vocabulum ad quascunque res infestas atrocesve traducunt. Cf. Iacobs. A. P. I, 1. p. 204. Ad serpentes Nic. Ther. 609. Nonnus denique etiam ad res inanimatas. Cf. Meinek. Anall. Alex. 94.

ἐπήβολος apud Homerum et Atticos scriptores est particeps. Poetae Alexandrini id vocant *ἐπήβολον*, quod in aliquam rem convenit. Theocr. 28, 2: *γυναιξὶν πόνος οἰκωφελέεσσιν σὸς ἐπήβολος*, h. e. labor, qui tibi impenditur, bene convenit matronis rerum domesticarum apprime studiosis. Apoll. Rhod. I, 694. II, 1283 i. q. *ἀσφαλής*. III, 1271: *ἐπήβολος ἅρματι νύσσα*, scopus curriculo constitutus IV, 1378: *ἐπήβολος μῆτις* aptum consilium. Cf. Porphyr. Quaestt. Hom. 1, quem exscripsit Etym. M. s. v. Nic. Alex. 232: *κάρφη κλήροισιν ἐπήβολα*, poma hortensia dicit.

ἑτεραλκής apud Homerum vocatur is qui alteri parti adest eamque defendit, robustioremque eam facit. Epitheton victoriae, pugnae. Latiore sensu Nic. Ther. 2: *λύσιν θ' ἑτεραλκέα κήδευς* dixit. Cf. Nonn. 18, 119.

θάλεια apud Homerum semper est epitheton *δαιτός*. Item in Hes. Opp. 749. Soph. fr. 539 all. Ad alias res translatum est vocabulum primum a Pindaro, Nem. X, 53: *μοῖρα θάλεια ἀγώνων*, ubera pars. Nic. Ther. 640: *ἡ δ' ἑτέρη πετάλοισι καὶ ἐν καλύκεσσι θάλεια, ὑψηλή*, ubi Scholl.: *τοῖς φύλλοις ἢ τοῖς κλάδοις ἢ τοῖς ἄνθεσι δασεῖα.*

ἰοειδής apud Homerum et Hesiodum maris est et fontium epitheton, de quo post Passov. in prol. Pers. 2 Lennep. in Hes. Theog. 135 ita disputavit: 'omnino significatur splendor aquae nigricans, qualis in uberioris aquae fonte'. Apud Nic. Ther. 243 idem est quod prosarium *ἰώδης*, venenifrum.

νειαίρη, inferior. *νειαίρη γαστήρ* Il. *ε*, 539. *π*, 465. *ρ*, 519. *νείαι-*

ϱαν εἰς πλευϱάν Eur. Rhes. 794. Alex. 270: νειαίϱη σάϱξ est caro interior.

σιαλός, adiectivum apud Homerum semper cum ὗς coniunctum: per se posuit Nic. Alex. 133. Sic etiam,

σίντης Homero adiectivum, Nicandro Ther. 715 substantivum est. Cf. Apollin. Ps. CIV, 26: οὔτινα σίντιν ἔασσεν ἐπὶ σφισὶ χεῖϱα κοϱύσσαι l. σίντην οὔτιν᾽ ἔασεν.

χλούνης, quod apud antiquos epicos apri epitheton est, cf. Il. ι, 539. Hes. Scut. 168. 177, apud Alexandrinos pro ipso apro positum. Callim. h. Del. 150. Nic. Georg. fr. 2, 6. Opp. V, 25.

ὑπεϱφίαλος, de quo cf. Buttm. Lexil. II, 313. Nitzsch. in Od. δ, 663. is vocatur qui plantarum instar proceritate et magnitudine alios superat, et per metaphoram superbus, elatus animo. Apud Nic. Georg. fr. 2, 23: μέσφα συνωϱίζωσιν ὑπεϱφιάλοιο μετώπου, nihil aliud est, quam altum.

Verba haec enotavi: ἀμέλγω 'Nic. Al. 506: βδέλλαι ἀμελγόμεναι χϱοὸς αἷμα Scholl. ἀντὶ τοῦ πιέζουσαι i. e. θλίβουσαι sive βλίττουσαι. Et ἀμέλγειν non solum de lacte dicitur, sed etiam de melle, κηϱῶν μέλι πολλὸν ἀμέλξας, i. e. βλίσας, A. P. VI, 329'. Lobeckii sunt verba, Rhemat. p. 14 n. Saepe a Nonno hoc vocabulum ita usurpatum est.

δίενται, forma deponentialis quae apud Homer. ψ, 475 'currunt' significat, cf. Buttm. gramm. II, 146, apud Nic. Ther. 755 a Scholl. explicatur per διάγουσι, quos de ἐνδιᾶν i. e. sub Iove manere cogitasse recte Lobeckius docuit in addit. l. l.

ἐπιόσσομαι in Il. ϱ, 381 est oculos iniicere in aliquam rem, contemplari aliquid. Apud Apoll. Rhod. II, 28. Nic. Ther. 276, est animadvertere.

ἐϱωέω cum tria significet apud Homerum, cf. Buttm. Lexil. I, 159 sqq. Spitzner in Il. ψ, 433, nempe profluere, dein redire, recedere ab aliqua re, denique transitiva notione arcere, retinere aliquem aliqua re, cohibere et frangere alicuius impetum, et hoc quidem semel tantum ν, 57: τῷ κε καὶ ἐσσύμενόν πεϱ ἐϱωήσαιτ᾽ ἀπὸ νηῶν, poetae Alexandrini hanc rariorem significationem fere semper vocabulo tribuerunt. Cf. Callim. h. Del. 133: ἠϱώησε μέγαν ϱόον. Fr. 249: θηϱὸς ἐϱωήσας ὀλοὸν κέϱας, ferae frangens immane cornu. Theocr. 22, 174: χεῖϱας ἐϱωήσουσιν ἀποσχομένω ὑσμίνης. Nic. Ther. 117: κακὸν αἶψα κεν ἡμετέϱῃσιν ἐϱωήσειας ἐφετμαῖς. Quint. Smyrn. III, 520: ἐϱωήσει τις Ἀχαιοὺς κλαυθμοῦ ἄδην κοϱέσασθαι.

μοϱύσσω proprie est inquinare, contaminare. Hom. Od. ν, 435 latiore sensu commiscere. Nic. Alex. 144. 318. 330. 375. Cyneg. III, 39.

παιφάσσω in Il. β, 450 est cito vel atrociter circumspicere aliquid

conquirendi caussa. Sic apud Apoll. Rhod. IV, 1440. Nicander Ther. 761 de motu quocunque festinato et celere, de palpitatione usurpavit. Secuti sunt Opp. II, 288. Cyneg. II, 250.

περιφράζομαι. Nic. Ther. 7: *τοῖα περιφρασθέντος ἀλεξητήρια νούσων,* qui talia edoctus est medicamina morborum. Itaque *περιφράζω* Nicandro inter transitiva verba refertur. Homerus *περιφράζομαι* dixit, idque significat apud eum omni ex parte aliquam rem deliberare.

πυρπολέω apud Hom. Od. *κ*, 30 iuxta focum occupatum esse notat: apud Atticos scriptores igne vastare. Apud Nic. Ther. 245. 364 simpliciter ardere.

τιθαιβώσσω, Od. *ν*, 106 de apibus dictum. Nic. Ther. 199 *καταχρηστικῶς* de gallinis. Derivatur a scholiastis *παρὰ τὸ τὴν βόσιν τιθέναι,* vel *παρὰ τὸ τυτθὰ βόσκειν ἢ τρέφειν,* pullos nutrire. Malim autem in origine vocabuli de *τίτθη, τιτθήνη* cogitare, cui sententiae Lyc. 622 favet, ubi *τιθαιβώσσειν* simpliciter est nutrire, *τρέφειν.*

Denique nonnulla adverbia huc pertinent, velut *ἄδην.* Apud Homerum est *ἱκανῶς,* satis. Apud Alexandrinos continuo. Apoll. Rhod. II, 81. Euph. fr. 36, 3. 78. Nic. Alex. 426. Cf. Meinek. Anall. Alex. 114.

ἦκα leniter. Buttm. Lexil. I, 13. 301. Ex Odyss. *ρ*, 254: *τοὺς μὲν λίπεν αὐτοῦ ἦκα κιόντας,* fortasse ea huius vocabuli fluxit significatio, quam Nic. Alex. 226 exhibet, sensim, paullatim. Cf. Iacobs. A. P. 116. Sic etiam Coll. 132 et saepe Nonnus.

ὁμαρτῇ, ita enim non *ὁμαρτή* scribere praestat, ante Aristarchum in quibusdam locis Homericis legebatur pro *ἁμαρτῇ.* Cf. Spitzner. Exc. XII, et nacta est haec lectio defensorem Herodianum. Significat simul, una cum, velut in Eur. Hec. 839: *ὡς πάνθ' ὁμαρτῇ σῶν ἔχοιτο γουνάτων.* Hippol. 1195. Heracl. 139. Apud Nic. Alex. 378 significat crebro. Cf. Apoll. Rhod. I, 538:

στησάμενοι φόρμιγγος ὕπαὶ περὶ βωμὸν ὁμαρτῇ
ἐμμελέως κραιπνοῖσι πέδον ῥήσσωσι πόδεσσιν.

ubi Scholl.: *σύναπτε δὲ τὸ ῥήσσωσι τῷ ὁμαρτῇ.* Apollin. Ps. XCVII, 19.

§. 2.

Poetae Alexandrini, vocabulis Homericis saepenumero eas tribuerunt significationes novas et inusitatas, quas per etymologicas rationes aut re vera iis inesse aut inesse saltem posse putabant. Exempla apud unumquemque eorum satis multa prostant, quorum unum tantum ex Euphorione commemoro, qui *ναυαγὸν* non naufragum, sed navis gubernatorem vocavit. Sic *μυστήριον,* quamquam hoc Homericum non est, Dionysio tyranno significasse murium latibulum tradidit Athenaeus. Eiusmodi apud Nicandrum fortasse haec sunt:

ἀποφώλιος. Derivatur a grammaticis aut ab ὄφελος, ut sit inutilis, futilis, coll. Od. λ, 248: οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ ἀθανάτων, aut a φωλεός quod κατὰ γλῶσσάν τινα Ionicam διδασκαλεῖον significare volunt, ut sit ἀπαίδευτος. A φωλεός, nidus, latibulum, derivatur a Nicandro, qui Alex. 524: ἀποφώλιον ἆσθμα ἐχίδνης pro ἆσθμα ἐχίδνης φωλευούσης dixit.

ἀσκελής proprie est id, quod exsiccari non potest, durum, nunquam cessans. Paullo aliter Od. κ, 463: ἀσκελέες καὶ ἄθυμοι, exsiccati, debiles. Coniunctum cum ἄπους, ἀσκελής apud Platonem, Tim. p. 34 A, significat sine cruribus. Apud Nic Ther. 42 est aequalis, eiusdem ponderis.

ἀσταγής, quod non destillat. Itaque apud Soph. fr. 162 κρύσταλλος vocatur ἀσταγής, i. e. non defluens, firmus. Apud Apoll. Rhod. III, 804. Nic. Ther. 307 est valde stillans.

ἡμιδαής, semicombustus. Il. π, 294. Apoll. Rhod. IV, 596. Semicomestus A. P. IX, 375. Apud Nic. Alex. 55 ἡμιδαὲς βάρος est pondus dimidiatum.

ἰοδόκος est adiectivum. Pharetra quae sagittas continet ita vocatur. Od. φ, 12. Callim. h. Dian. 213. Nic. Ther. 184 ἰοδόκους vocavit serpentium dentes, quibus venenum continetur. Ceterum Alexandrini novum inde formaverunt substantivum ἰοδόκη, sicut οἰστοδόκη, ἱστοδόκη, δουροδόκη quae omnia ab Apollonio Rhodio fluxerunt. Cf. Armin. Koechly in Quint. I, 339.

νέποδες in Od. δ, 404: φῶκαι νέποδες καλῆς Ἁλοσύνδης, triplici ratione explicatum est a grammaticis. Primum per ἄποδες, ita Apion. Dein per νηξίποδες a νέω νήχομαι, cf. Apoll. Lex. s. v. Etym. Gud. 405. Schol. Hom.: αἱ διὰ τοῦ νήχεσθαι τὴν πορείαν ποιούμενοι. Hanc significationem retinuerunt Callimachus, Oppianus, complures Anthologiae poetae, Nonnus cum secta. Cf. Naek. Opusc. I, 244. Nic. Alex. 468. 485. Denique κατὰ γλῶσσάν τινα per ἀπόγονοι, τέκνα quia pedibus uti nescirent. Cf. Eust. Odyss. l. l. Orus in Etym. M. p. 601, 29. Secuti sunt Callim. fr. 77. Theocr. 17, 25. Apoll. Rhod. IV, 1743. Etym. M. p. 380, 28.

ὀλοφώιος quod in Odyssea tantum extat, Alexandrinis quoque usu venit. Theocr. 25, 185. Apoll. Rhod. I, 476. Nic. Ther. 1. 327. Ad priorem locum Scholl.: τουτέστι τὰ φῶτας ἀναιροῦντα, ἤγουν ἄνδρας ὀλλύντα. οὐχ ὁμηρικῶς. ὀλοφώια γὰρ ἐκεῖνος τὰ ὀλέθρια (ita cod. Vatic. δόλια Goetting. rell.) γέρων ὀλοφώια εἰδώς.

Iam in prima paragrapho exposui de ἰοειδής et ἄρκιος. Has autem artes et ludibria etymologica a Graecorum ingenio parum omnino abhorruisse ex antiquissima illa symbolice nominum apparet, cuius prima vestigia ad ipsum Homerum redeunt. Hanc autem docti poetae imitati sunt interdum ridicula et paene parodiarum ratione, ut recte Hermog. de idd.

p. 123: *πολὺς κίνδυνος ἐν ταῖς τοιαύταις δριμύτησιν ἐμπεσεῖν εἰς ψυχρότητα, ἐπεὶ καὶ οἱ τὰ σπουδογέλοια ταυτὶ συντιθέντες τοῦ γελοίου γε ἕνεκα οὐδὲν ἀλλ' ἢ ταῖς τοιαύταις χρώμενοι δριμύτησιν εὐδοκιμοῦσιν.* Nam inde communis eorum fluxit mos, e quo nomina propria pro appellativis usurpabantur. Cf. Lobeck. in Aiac. 420 et praeter alios Meinek. Anall. Alex. 99. 126. 136. Creuzer. Symb. II, 542. III, 146 sqq. Atque notum est *Ζεὺς ἀρίσταρχος, Ἄρτεμις τηλέμαχος, χεὶρ ἱπποδάμεια, ἀτρεὺς δῆμος Ἀθηνέων* ex Euphorione, *Ζεὺς Ἀγαμέμνων* e Lycophrone. Dionysium autem *μένανδρον* appellasse virginem scimus, *μενεκράτην* columnam, *θυέστην* pistillum, quibus proxime accedunt *κύκλωψ σελήνη* in Parmenidis fr. 130, *ἄροτρον ἐνοσίχθων* et *γλαυκῶπις ἐλαία* apud Euphorionem (sic *γλαυκῶπις γαλήνη* apud Paull. Silent. ecphr. 294. Ita Empedocles lunam vocaverat) aliaque id genus quae ad sermonem Alexandrinorum figuratum pertinent. E Nicandro huc referam Georg. fr. II, 72:

σαύρην θ' ἢ χθονίου πέφαται στέφος ἡγεσιλάου

i. e. Plutonis. Conferri potest etiam Colluthus, qui v. 194 fabros lignarios

ἀνέρας ἐργοπόνοιο δαήμονας Ἀτρυτώνης

vocavit.

§. 3.

Inprimis autem ea vocabula poetae Alexandrini libenter in sua transtulerunt carmina, quae apud Homerum rariora erant vel *ἅπαξ εἰρημένα*, a quo more ne Nonnici quidem destiterunt. De Callimacho et Apollonio nota est res. Ex Arato praeter alia notavi *γλῆνος, εἰνόδιος, θέναρ* (v. 718 de pedum planta), *μέσφα, παραβλήδην*. Apud Colluthum inveni *αὐτοκασιγνήτη* v. 21, *δολοφροσύνη* v. 321. 369, *ἰωχμός* pro *ἰωκή* v. 325, *ψάμαθος* de arena fluviali v. 3 ex Il. *φ*, 202, *ὑποδρηστήρ, ὑποσχεσίη* v. 324, *ἔην* pro *ἐστίν* ex Il. *λ*, 762. Cf. Buttm. Gramm. I, 530, *κουρίζειν* iuvenem esse v. 103, *παραπλώω* v. 211, *αὐτῆμαρ* v. 199 rell. Apud Paullum Silentiarium *μελαγκρήδεμνος* Ecphr. Soph. 905, *πένταχα* v. 408, *πολύκεστος* v. 659.

Multa eiusmodi habet Nicander, quorum praestantiora haec sunt: *ἄσις* limus, Il. *φ*, 321. Nic. Ther. 176. *ἀτραπιτός* Od. *ο*, 197. Ther. 917. *βρεχμός* pro *βρέγμα*, Il. *ε*, 586. Ther. 219. *γλάγος* pro *γάλα* Il. *λ*, 471. Alex. 139. 262. 352. 385. 423. *κώληψ* Il. *ψ*, 726 est poples, apud Nic. Ther. 424 sicut apud Nonnum aliquotiens, articulus, talus. *λαοφόρος* via publica, Il. *ν*, 682. Alex. 218. *μόλιβος* Il. *λ*, 237. Ther. 256. 613. Omnino altera forma *μόλυβδος* recentiores poetae prorsus abstinuerunt. *νήδυια* (non *νηδυῖα*, cf. Lobeck. in Phryn. p. 494) ilia, Il. *ρ*, 524. Nic. Alex. 380. *πάχετος* pro *πάχος* Od. *ψ*, 191, nisi hoc quoque in loco adiectivum est, Nic. Ther. 385. 468. *ῥαδαλούς*, ita enim Alex. 92 pro *ῥα-*

δάμνους e cod. Gotting. recipiendum est, agnovit Zenodotus in Il. σ, 576. χέεια Il. χ, 93, pro χειά latibulum serpentium Nic. Ther. 79. αὐαλέος. ἐλεόθρεπτον σέλινον Il. β, 776. Nic. Ther. 597. μακεδνός pro μηκεδανός Od. η, 106. Nic. Ther. 472. εἶθαρ i. e. εὐθέως Il. ε, 337. Nic. Alex. 517. Ther. 547. Habuit etiam Antimachus hoc vocabulum. ἀγρώσσω pro ἀγρεύω Od. ε, 53 ἰχθῦς ἀγρώσσων. Nic. Alex. 473. Ther. 418. ἀηθέσσω Il. κ, 493. Nic. Alex. 376. δατέομαι Nic. Alex. 345 rariorem comedendi significationem ex Il. ψ, 394 habet. δινεύω pro δινέω, de quo v. Lehrs. Quaestt. epp. p. 321, ex Il. σ, 543 et ω, 12. ἐριδμαίνω pro ἐρεθίζω, Il. π, 260. Nic. Alex. 407. ἐσσεῖται Il. β, 293. ν, 317. Ther. 699. κορθύομαι Il. ι, 7. Nic. Ther. 426. νεμέθω pro νέμω Il. λ, 635. Nic. Ther. 429. ὀρεχθέω pro ῥοχθέω Il. ψ, 30. Nic. Alex. 340, plerumque a poetis Alexandrinis pro ὀρέγω usurpatur, Ap. Rhod. I, 275. II, 94 ubi videantur scholia. στρεύγω guttatim exprimo, cf. Valcken. in Ammon. p. 130. Il. ο, 512. Od. μ, 351. Nic. Al. 291. Inde formavit στρευγεδών, Alex. 313.

CAPUT SECUNDUM.

DE GLOSSEMATIS APUD NICANDRUM.

Iam vero ad secundum vocabulorum ordinem perventum est, in quo ea enumerentur, quae e singulis scriptoribus et dialectis Colophonius docte congessit. Atque tantus eorum proferri potest numerus, ut Nicander vel doctissimum quemque aequalem aut aequasse aut superasse videatur. Neque hoc aliter esse potuit in diligentissimo glossographo. Tamen in his difficile est iudicium, quid singulis debeatur scriptoribus anquirere, nisi e scholiastarum dissertis verbis ea de re constat. Sed si pro ea, quam habemus veterum scriptorum cognitione, singulos auctores circumspicimus, fere hi in censum venient.

Primus est auctor hymni Homerici VIII, 12. XXVIII, 8 propter κάρηνον singulari numero usurpatum, sicut in Nic. Ther. 287. 293. 642. Arat. 160. 206. Tryphiod. 562. Homerus enim tantum κάρηνα dixit, quem usum reliqui poetae epici retinuerunt et Colluthus ita quidem, ut v. 183. 264 pluralem numerum de uno capite usurpaverit.

Deinde Hesiodum in his agnovi: ἄναυρος, Thessaliae fluvius, Hes. Scut. 477. Apud Alexandrinos pro appellativo est, significatione torrentis. Cf. Apoll. Rhod. I, 9 ubi scholl.: χείμαρρος ποταμὸς, ὁ ἐξ ὑετῶν συνιστάμενος. Adde scholl. I, 70 et Tzetz. in Lycophr. p. 175. Secuti sunt

Nonnici, Coll. 104. Paull. Sil. Ecphr. 210 all. De fluminum ripis usurpavit Nic. Alex. 235, secundum scholl. ad h. l.

δότειρα Hes. opp. 354. Nic. Alex. 625.

εἰνάς Hes. opp. 808, sacer Eleusiniorum dies, cf. Procul. ad h. l. Nic. Alex. 218.

ἰδμοσύνη Hes. th. 377. Nic. Ther. 346. Crinag. A. Pl. 273.

ὀμβρήρης Nic. Ther. 406 fluxisse videtur ex *ὀμβρηρός* Hes. opp. 453.

πολυδερκής multa conspiciens, Hes. opp. 451. 755. Si apud Nic. Ther. 209 recte *πολυδερκέα* legitur (scholl.: *πολυδερκέα τὴν κατὰ πολλοὺς τρόπους ὁρωμένην κατὰ τὸν πολύποδα· ἢ ὡς ἔν τισιν εὕρηται, πολυδεύκεα, δηλαδὴ πικράν.*), est multum conspectus.

πρηών receperunt Alexandrini ex Hes. scut. 437. Callim. h. Dian. 52. 169. Lycophr. 769. 1069. Nic. Ther. 218. Alex. 104. 404 ubi *πρηόνες* legatur secundum cod. Medic., qui *πρηῶνες* habet pro vulgato *πρηδόνες*. Ceterum nota est duplex huius vocabuli declinatio, de qua Lobeckius disputavit in Aiac. 165, quo in loco falso Nonn. XIV, 437 et Nic. Ther. 218 pro Alex. 404 citantur, genet. *ῶνος* et *όνος*.

ῥιγηλός Hes. scut. 131. Nic. Alex. 220. Homerus et qui eum sequuntur *ῥίγιον* tantum et *ῥίγιστος* noverunt.

ὑπευνηθεῖσα Nic. Alex. 294. Apud Hes. theog. 374 varia lectio pro *ὑποδμηθεῖσα* de Thia quae ex Hyperione liberos suscepisse dicitur.

Ex Archilochi carminibus haec fluxisse mihi videntur: *ἄγρει* Nic. Ther. 534. Apud Homerum semper insequente imperativo ponitur, quem sicut Nicander hoc in loco primus omisit Archilochus, fr. 4. 49 (Schndw.).

ἀργιλίψ Nic. Ther. 213. *ἀργιλιπής* ex Archilocho afferunt scholl. ad h. l.

ἔμπλην apud Homerum et Hesiodum est prope. Il. *β*, 526. Hes. scut. 372. Cf. Lycophr. 1029. Significationem *τοῦ πλήν, χωρίς* ex Archilocho (fr. 103) receperunt Callim. h. Del. 73. Nic. Ther. 323, ubi scholl.: *ἔμπλην] παρ' Ἀρχιλόχῳ ἔμπλην ἀντὶ τοῦ χωρὶς — παρὰ δὲ τῷ ποιητῇ ἀντὶ τοῦ πλησίον — ἐνταῦθα δ' ἐπὶ τοῦ χωρὶς τακτέον.*

σείριος praeeunte Archilocho in Etym. M. p. 710, 28 a Nicandro Ther. 205. 368. 779 (Orph. Argon. 121) sol vocatur. Omnino nihil aliud significari hoc vocabulo quam sidus torrens quodcunque, e Suida effici potest. Cf. Stoll. in Antim. rell. p. 90.

οἰδαλέος Archil. fr. 49. Nic. Alex. 210. Georg. fr. 9, 3.

Pindari vestigia rarissime deprehendi. Vix enim illud huc ausim referre, quod *τάρταρος* femininum est Nic. Ther. 203, sicut Pind. Pyth. I, 15. Nam haud pauca in genere nominum novavit Nicander. Dixit *ἡ λᾶας* Ther. 45. *ἡ μόσχος* Alex. 356. *οἶμος*, apud Hes. opp. 292 et Pindarum masculinum est, apud Atticos scriptores et Nic. Ther. 207 femininum; ex Homeri Il. *λ*, 24 de genere non liquet. *ῥινός* Nic. Alex. 464. 475 est

masculinum sicut Cynegeticorum auctori et Quinto Smyrn. IV, 371. Femininum apud Apoll. Rhod. IV, 174 et Oppianum, de quo Lehrsius dixit in Quaestt. epp. p. 320. Possunt etiam huc referri pluralia nominum secundae declinationis nulla notionis diversitate in *οι* et *α* formata: *δεσμά* pro *δεσμοί* Ther. 317. *τὰ τρόχμαλα* Ther. 143. *τὰ χέδροπα. τὰ χαλινά* Alex. 13. *τὰ χηραμά* Ther. 55 pro *οἱ* vel *αἱ χηραμοί*. Cf. *τὰ δάκτυλα* apud Theocr. 19, 3. Passov. in Mus. p. 198. Sed ad Pindarum referri debet *χαιτήεις*, Pyth. IX, 5 epitheton Apollinis longis comis obsiti. Ad ursum translatum in Cyneg. V, 38, de mentha crispa usurpatum a Nic. Ther. 60.

Plura Aeschylus dedit audacissimus ille vocabulorum novator eamque ob caussam gratissimus Alexandrinis. Huc pertinent *αἶπος* altitudo, mons excelsus, Aesch. Ag. 276. Nic. Ther. 215. Cf. Meinek. Anall. Alex. 289.

ἀμβλώσσω pro *ἀμβλυώσσω* solus dixit Nic. Ther. 22. Sic *ἀμβλωπός* pro *ἀμβλυωπός* formatum ab Aeschylo, Eum. 915.

ἀνόστρακα recipiendum videtur e scholiis pro frigidissimo *ἀνοστέα* in Alex. 296, i. e. ova sine testa. Atque *ὄστρακον* de ovi testa extat apud Aesch. fr. 428.

βρωτήρ Aesch. Eum. 803. Nic. Alex. 421. 432.

δάκος proprie nihil aliud est quam morsus. Notionem animalis morsu noxii, ex Aesch. Ag. 798 ubi equus Troianus ita vocatur, Nicander repetiit Ther. 115. 335 all.

δροίτη alveus. Aesch. Ag. 1521. Choeph. 993. Eum. 603. Nic. Alex. 462. Lycophr. 1108.

καναχής Aesch. Choeph. 150. *καναχός* Nic. Ther. 620.

λέπας rupes deserta, Aesch. Ag. 274. 289. Nic. Ther. 634. A. P. VI, 23. Lycophr. 420. 1045.

λῆνος lana. Aesch. Eum. 44. Nic. Alex. 452. Apoll. Rhod. IV, 173. 177.

λίπτομαι i. e. *λίσσομαι, ἐπιθυμῶ* notum est ex Aesch. Ag. 850. Sept. 337. 362. *λίπτω* habent Nic. Ther. 126. Lycophr. 131. 353 alii.

νωτέω pro *νωτιάω, νωτίζω* a *νωτία, νωτίς* semel dixit Nic. Alex. 493, Aeschylum fortasse respiciens, a quo Ag. 1364 pluvia *Διὸς νότος* vocatur.

προσειδής τινι similis. Nic. Georg. fr. II, 3. Conferatur Aesch. Choeph. 176: *μάλιστ᾽ ἐκείνου βοστρύχοις προσείδεται*. Homericum est *εἰς ὦπα ἐοικώς*.

σίνος Aesch. Ag. 378. 547 all. Cf. Valcken. in Hippolyt. 977. Nicander habet *σίνος* Ther. 1. 635. *σῖνος* Alex. 231, saepius *σίνομαι*, et *σίντης* Homericum Ther. 623. 715.

φύγδην, in fugam. Nic. Ther. 22. Aeschylus dixit in Eum. 246: *μὴ λάθῃ φύγδα βάς*. Homericum est *φύγαδε*. De terminationis inconstantia

in adverbio a stirpe verbali formato, φύγδα φύγαδε φύγδην, sicut μίγα μίγδα μίγδην, κρύβδα κρύβδην Lobeckius disputavit in Paralipp. p. 131.

ὠδίς partus dolor. Apud Aesch. Ag. 1392: ἔθυσεν αὑτοῦ παῖδα φιλτάτην ἐμοὶ ὠδῖνα significat illud quod doloribus partum est, unde Nic. Alex. 125 ὀρταλίχων ὠδῖνας gallinarum ova vocavit. Cf. Opp. I, 758:

ὠὰ γὰρ εὖτε τέκῃσι φύγῃ δ' ὠδῖνα βαρεῖαν
αὐτὴ γειναμένη καταδαίνυται, ὅσσα κίχῃσι.

Nonnulla ad Sophoclem referam. Velut illud statim quod Nic. Ther. 761: ἀκρόνυχος δείπνηστος convivium vocatur prima nocte institutum, cf. Theocr. Beren. 3. Arat. 774, fluxisse mihi videtur ex Sophoclea locutione ἄκρας νυκτὸς, Ai. 283 in qua illustranda more suo copiosissimus fuit Lobeckius. Porro ἐνδατεῖσθαι vulgo passivum est, medium apud Nic. Ther. 509 et Soph. O. T. 200. Cf. Wunder. ad h. l. ἑψίη, quod vocabulum Hesychius per ὁμιλία explicavit extat tantum apud Soph. fr. 4. Dind. et Nic. Ther. 880. ξαναᾷ Ther. 383 petitum ex Soph. fr. 450. Etiam μεστόω Ther. 598 vocabulum prorsus Sophocleum est.

Euripidea addam: ἀγμοί praerupta montium, Eur. Bacch. 1094. Nic. Ther. 146. Alex. 390. 651 (de ripis). ἀκρεμών ramus, Eur. Cycl. 454. Nic. Ther. 391. βάπτειν in Alex. 171 significat mergendo haurire. Cf. Theocr. 5, 127. Praeivit Eur. Hec. 610:

σὺ δ' αὖ λαβοῦσα τεῦχος, ἀρχαία λάτρι,
βάψας ἔνεγκε δεῦρο ποντίου ἁλός.

δροσόεις pro δροσερός, primum legitur in Eur. Troad. 833. Nic. Ther. 88. Apoll. Rhod. I, 1282. Coll. 343. ἐρίπνη de saxis abruptis dixit Eur. El. 210. Phoen. 1168. Nic. Ther. 22. Apoll. Rhod. I, 581. II, 434. 1249. Apud Nonnum, Colluthum, Paullum Silentiarium omnino lapis quicunque ita vocatur. κοιλωπής Nic. Alex. 442. κοιλωπός habet Eur. Iph. T. 263. χιονώδης pro χιονοειδής Eur. Hec. 719. Nic. Alex. 150.

Ex Aristophane petita videntur: θρῖναξ Arist. Pac. 559. Nic. Ther. 114. Cf. Lobeck. Pathol. p. 477. ἰκρίον latiore sensu lignei tabulati, primum apud Arist. Thesm. 395 legitur. χυλοιδιάω tumeo, Nic. Alex. 478. Verberibus tumeo Arist. Lys. 472. De oculorum tumore quos homo libidinosus defixos tenuit in puella, usurpavit Theocr. I, 37. κατασμώχω Nic. Alex. 333. Ther. 860. σμόχω Arist. Pac. 1274, quod scholl. per τρίβειν, ἐσθίειν explicant. Lexica habent σμῶξαι, πατάξαι unde σμῶδιξ formatum esse volunt. In Ther. 530 σμώξας lectionis varietas est pro μίξας. — τινθαλέος Nic. Alex. 445. 463. διατινθαλέῳ κεραυνῷ dixit Aristophanes in Vesp. 329, ubi scholl. διαθερμῷ interpretantur. φιμόω Arist. Nubb. 581. Hesych.: φιμόω] δεσμόω. Nic. Alex. 275. Habet etiam εὔφιμος et φιμώδης.

Omnino vocabula proprie Attica satis magno apud Nicandrum inve-

niuntur numero: ἄνθη, ἄτραπος, ἄχραντος, βαιόν, γένος instrumentorum acies, δικροῦς cf. Naek. in Callim. Hec. 134, ἐγκύμων, κατήρης, κεραίη, λιβάς, λιγνύς, νοτερός, παραπλήξ, ῥύπτομαι, παλίσσιτος, φάραγξ, φόβη aliaque multa, quae singula enumerare longum est. Horum quoque latiore sensu haud pauca admisit, velut θρῖον quod Atticis scriptoribus fici folium plerumque denotat, folium universe Nic. Alex. 55. 497. ὀρτάλιχοι sc. θῆρες proprie sunt animalia domestica, quae in ΟΡΤΩΙ (cohaeret hoc vocabulum cum Latino hortus, cohors) degunt, deinde avium pulli, Aesch. Agam. 53. Theocr. 13, 12. Gallinarum pullos ita vocasse Boeotos auctor est schol. Arist. Ach. 871, Thebanos gallum Strattis apud Athen. XIV, 621. Nicander Alex. 165 gallinas ita vocavit.

Antimachum denique diligenter imitatum esse Nicandrum, cum per se patet, tum disertis verbis a schol. in Ther. 4 traditum est: ἔστι δὲ ὁ Νίκανδρος ζηλωτὴς Ἀντιμάχου διόπερ πολλαῖς λέξεσιν αὐτοῦ κέχρηται· διὸ καὶ ἐν ἐνίοις δωρίζει (de doricis autem apud Antimachum formis cf. Stoll. in Antim. rell. p. 35. 38), ὡς καὶ νῦν ἐν τῷ παῶν· πηῶν γάρ ἐστιν, ὅ ἐστι συγγενῶν. Et λέξεις quidem Antimacheas, reliquiis eius cum Nicandreis diligenter comparatis, quattuor inveni,

ἀμορβός, quod vocabulum primum in Antim. fr. 16 invenitur, ubi comitem ἀκόλουθον notat. Cf. Callim. h. Dian. 45. Itaque ἀμορβεύομαι in Nic. Ther. 349 et ἀμορβεύω fr. 33 est ἀκολουθῶ, ὑπηρετῶ. ἀμορβάδες Νύμφαι apud Apoll. Rhod. III, 881 recte a scholiastis per ἀκόλουθοι explicantur. Derivant vocabulum grammatici ab ἅμα et ὁρμάω, etiam formam ἀμορμός agnoscentes, quapropter apud Nic. Ther. 49 et Cyneg. auct. I, 132 pastorem esse ἀμορβόν, non est quod miremur. ἀμορβαῖοι χαράδραι Ther. 28. 489 sunt ποιμενικαί. φῶτες ἀμορβαῖοι pastores vocantur in Cyneg. III, 295.

κελέβειον pro κελέβη. Antim. fr. 18—20.

πλόος de terrestri itinere, post Antim. fr. 74 usurpavit Nic. Ther. 295, ubi scholl.: βαιὸν δὲ πλόον νῦν τὴν ὁδὸν τὴν πεζήν, τὴν πορείαν. Καὶ Ἀντίμαχος εἶπεν· τοῖσι δ' ἂν ὑλήεντα διὰ πλόον ἐρχομένοισιν. Cf. Hesych. s. v. πλοῦς. Phot.: πλωίζεται πορεύεται· πλοῦς γὰρ καὶ ἡ ὁδός. Schol. Apoll. Rhod. III, 1149. Lobeck. in Phryn. p. 615 n.

πολύστειος Nic. Ther. 466. 950. Stoll. in Antim. rell. p. 34. Fortasse huc etiam referri potest usus vocabuli κάρηαρ. Nam apud Homerum καρήατος Il. ψ, 44, καρήατι τ, 405, καρήατα ionice dicitur pro κάρητος, κάρητι. Docti vero poetae praeeunte Antimacho, qui κάρηαρ nominativum habet, fr. 105 St., reliquos quoque casus ab hoc nominativo derivarunt: genet. καρήατος Nic. Alex. 133. Apoll. Rhod. I, 1084. III, 1017. IV, 1314. Paull. Sil. Ecphr. Soph. 358. dat. καρήατι Nic. Alex. 187. Callim. h. Dian. 40. fr. 106, 1. Apoll. Rhod. IV, 834. Accus. plur. καρήατα Callim.

h. Apoll. 60. h. Del. 134. 236. Paull. Sil. 386. amb. 191. Dat. plur. *καρήασι* Nic. Ther. 186. Apoll. Rhod. II, 582. III, 1398. Paull. Sil. amb. 185.

Certe ex eodem fonte dorismi manaverunt. Atque de *παῶν* modo dictum est. *μάν* pro *μήν* iam Homero usitatum. *φίν* pro *σφίν*, *σφίσιν* ex metri necessitate usurpavit Nic. Ther. 715. fr. 6, Callimachum secutus auctorem. Praeterea haec annotavi:

Ἄττης pro *Ἄττις*, Alex. 8. Formam Laconicam esse atque Doricam tradit Hesychius. Legitur illo in loco genetivus *Ἄττεω*, ubi scholl.: *ὥσπερ δ' ἀπὸ τοῦ Ἄλτης Ἄλτεω, οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ Ἄττης Ἄττεω, ἢ ὡς ἀπὸ περισπωμένου, ὥσπερ Ἑρμῆς Ἑρμέω.* Conferri potest Alex. 152, ubi *Κερκετέω* genetivus eius est montis, qui Straboni *Κερκετεός* audit. Montem Cercetium novi e Plin. H. N. V, 37. Formam *Κερκέτης* nusquam inveni. Aut igitur hoc quoque in loco *Κερκετεός* scribendum est, aut ad analogiam nominis *Βριαρεός*, *Βριάρεως* et *Βριαρέω* falso hic genetivus formatus est.

δάγμα Nicandrum semper pro *δῆγμα* dixisse, auctor est Schol. Ther. 119. Etiam in Alex. 119 *δαγμόν*, quam formam Eustathius suppeditat, pro *δηγμόν* scribendum esse censeo.

θιβρός (non *θιμβρός*, cf. Meinek. Anall. Alex. p. 128) doricum est pro *θερμός*. Cf. Intpp. Hesych. I, 1718. Callim. fr. 267. Euphor. fr. 98. Nic. Alex. 568. Ther. 35.

ὀδελός. Schol. Ther. 93: *τὸ δὲ ὀδελοῦ ἀντὶ τοῦ ὀβελοῦ Δωρικῶς καὶ Αἰωλικῶς.*

πιάζω doricum pro *πιέζω*. Hesych. s. v. Theocr. Nic. Alex. 224.

τάμισος Nic. Alex. 374, coagulum quo pelles subiguntur, doricum creditur pro *πυτία*. Cf. Theocr. 7, 16.

In Theriacorum autem v. 250.

ἄλλοτε μὲν δίψῃ φάρυγα ξηραίνεται αὖον.

ambigendum est, utrum Nicander praeeunte Epicharmo (cf. Eur. Cycl. 214) vocabulum *φάρυγξ* masculinum esse voluerit, id quod dorismum esse tradiderunt auctt. Et. M. aliique grammatici, cf. Lobeck. in Phryn. p. 65, an more suo adiectivo *αὖος* duas tantum terminationes tribuerit, sicut aliis adiectivis trium terminationum in *ος*, *υς*, *εις* ad analogiam quorundam adiectivorum in Homeri Hesiodique carminibus. Nota sunt ex Homero *ὁ, ἡ κλυτός* (Od. *ε*, 422. Il. *β*, 142), ex hymno in Cer. 157: *πρώτιστος ὀπωπή*, ex Hesiodo *θερμός αὐτμή*, *ἄγλαος ἥβη*. Apud Nicandrum inveni: *αἰόλος, ἡ* Ther. 173. *θοώτερος αἶσα* Ther. 120. *ποιφύσσοντος* pro *ποιφυσσούσης* Ther. 180. *τοῖον* ubi *τοίην* exspectamus, Ther. 210. Ex Arato huc faciunt *νειάτῳ οὐρῇ* v. 60, *ἔσχατος οὐρή* v. 625. 628. *ἱερὸς ἀκτή*, *ἱερὸς ἕδρη* v. 692. Dein Hesiodus dixit *θῆλυς ἐέρση*, Homerus *ἡδὺς αὐτμή*, cf. Eustath. Il. *β*, 333 sqq. (*θῆλυς νεολαία* Theocr.

18, 24. *θῆλυς οἴς* Il. *κ*, 216. Od. *κ*, 527. Apoll. Rhod. III, 1999. *ἁδέα χαίταν* Theocr. 20, 8. Cf. Schaefer. in add. ad Naek. Choeril. p. 267). *ῥίζας πολέας* dixit Nic. Georg. fr. III, 12. Cf. Il. *κ*, 27 *πολέας νύμφας* Callim. h. Dian. 42. Adiectiva in *εις*, *εν* pro *εις*, *εσσα*, *εν* iam apud antiquiores epicos haud pauca extant numero, propter antiquam affinitatem et confusionem terminationum *εις* et *ης*. Cf. Hermann. et Viger. n. 51. Bernhardy in Dionys. Perieg. p. 504. Plurima exempla habet Nicander: *ἀγριόεντα κράδην* Alex. 617. *αἰθρήεντα νηδύν* Alex. 415. *μορόεντος ἐλαίης* Alex. 455. *δολόεντα ὁρμήν* Alex. 473. *τροχόεντες σμώδιγγες* Alex. 557. *βρωμήεις* asina, non asinus, Alex. 485. *ψολόεντος ἐχίδνης*, citatum a scholl. Odyss. et Steph. Byzant. s. v. *Ἐπίδαυρος*. *ἰόεντα θάλασσαν* Alex. 171. *πετρήεντος θαλάσσης* Alex. 390. *ἐρευθήεις θρυαλλίς* Ther. 899. Etiam in plurali numero *εις* usurpatur pro *εσσαι*, *εσσας*. Itaque in Georg. fr. II, 26:

σπερματικὴν κάλυκες κεφαλὴν γόνῳ ἀντέλλουσιν,
ἀργήεις πετάλοισι, κρόκῳ μέσα χροισθεῖσαι.

in forma *ἀργήεις*, pro qua facillime *ἀργῆτες* conicias, cf. I. Fl. Lobeck. in Schneidewini Philol. VII, 1. p. 207, nihil mutandum esse Meinekius ostendit, Exercitatt. in Athen. I, 16. Nam *ἀργήεις* idem est quod *ἀργήεσσαι*, velut in Nic. Alex. 266: *ἀμπελόεις ἕλικας* et v. 293: *πόσιες φαρμακόεις* et in Matronis denique fragmento apud Athen. IV, 135. v. 78: *κίχλας ὑψιπετήεις* legitur, quasi haec omnia ab adiectivis *ἀμπελοής*, *ὑψιπετήης*, *ἀργήης* formata essent. Fortasse etiam Manetho pro *ἀγακλῆεις* quod hodie apud eum legitur, *ἀγακλήεις* ipse scripserat.

Dorismis autem apud Nicandrum subiungi possunt duo vocabula, quorum alterum Siceliotis vindicant grammatici, *ἀχύνετος* Alex. 174. Cf. scholl. ad h. l. Etym. M. s. v. Scholl. Apoll. Rhod. III, 530, alterum *φλύζω* pro *φλόω* Alex. 214, Italiotarum glossam agnoscunt scholia. Etiam Aeolismi, Aetolismi aliique idiotismi inveniuntur apud Nicandrum. Nam *ἀργεννός* pro *ἀργός*, *ἀργήεις*, petitum ex Il. *γ*, 141 quamquam ne ab Atticis quidem scriptoribus alienum est, aeolicum esse tradunt grammatici. *λίτρον*, Alex. 337. 632, aeolicum, *νίτρον* atticum. *ὄθμα* Alex. 243. Ther. 178. 443, aeolicum est secundum Hesychium pro *ὄμμα*. De *ὀδελός* et *ῥέθος* iam supra exposui, sicut de aetolico *θρόνα*. Etiam *ὑπάρπεζος* Ther. 284, aetolicum est, quo loco Scholl.: *Αἰτωλοὶ τὸν ὕπτιον καὶ λεῖον ὑπάρπεζόν φασι*. Porro *ῥυτή* Alex. 307, vocabulum Peloponnesiacum pro usitato *πήγανον* esse traditur. Cf. Valcken. Theocr. Adoniaz. 220. Denique *ὤεον* quod Aratus habet et saepe Nicander, rarior et dialectica forma pro *ὤιον* est, cf. quos cum Ibyco laudavit Athen. II, 57. F. sq.

Etiam e vulgari sermone illius aetatis multa suum in usum convertit Nicander, quamquam haec singillatim recensere nolo. In universum autem huc pertinere censeo ea vocabula, quae cum vocabula artis non sint, primum apud Aristotelem, Theophrastum, Polybium inveniuntur, velut *πλαδάω*, Ther. 708, *παλίσκιος* Ther. 509, *κνίδη* quod Moeris hellenistice dictum esse tradit pro *ἀκαλήφη*, alia. Nomen proprium *Ἑρμοχάρης* in Metamorphosium fragmento apud Ant. Liber. c. 1, recentem originem eo prodit, quod nulla ante Alexandri magni aetatem inveniuntur nomina composita, exeuntia in *χαρης*. Cf. Lobeck. in Phryn. p. 486. Sed haec aliaque leviora omitto, ut iam ad tertium transeam vocabulorum ordinem eorum, quae Nicandro cum aequalibus poetis maximeque Callimacho communia sunt, et cum apud antiquiores scriptores non inveniantur, aut nove formata, aut e deperditis scriptoribus depromta sunt.

CAPUT TERTIUM.

DE VOCABULIS QUIBUSDAM ALEXANDRINORUM POETARUM PROPRIIS.

Etenim poetae Alexandrini, quorum in singulis suam quisque doctrinae et eruditionis viam ingressus est, omnes tamen communi aliquo dictionis vinculo inter se continentur, quod cum in sermone figurato, audacioribus metaphoris et grammaticis quibusdam minutiis, tum in vocabulorum quorundam delectu cernitur, quorum e Nicandri carminibus haec enotavi:

ἀλκτήριον extat in versu poetae anonymi quem Callimachum esse credunt, apud Suid. v. *λιμός*. Nic. Alex. 350. Ther. 528. Exempla e Quinto et Nonno congessit Naekius in Callim. Hec. p. 131.

ἁματροχιαί quod iam in primo capite commemorari debebat, in Il. *ψ*, 442 de rotarum collisione usurpatur. *καταχρηστικῶς* de rotarum vestigiis apud Callim. fr. 135. Cf. Porphyr. Quaestt. Homer. Apud Nic. Ther. 263 rotarum orbita ita vocatur.

ἀροτρεύς vocabulum incertum in oraculo apud Demosth. Mid. 53, saepius apud Alexandrinos extat, Nic. Ther. 4. 6. Arat. 1075. Theocr. 25, 1. Apoll. Rhod. I, 1172, et Anthologiae poetas.

ἄστυρον pro *ἄστυ* Nic. Alex. 15. 131. Callim. fr. 19. 104. Cf. Naek. Hec. 261.

βράζω vel *βράσσω* verbum ab antiquis epicis non usitatum. Nic. Alex. 25. Ther. 78. 394. Apoll. Rhod. II, 323. Opp. II, 637. Orac. Sib. IV, 100. 109. Anthol. *ἀπέβρασον* habet Callimachus, cf. Naek. Hec. 142.

δομή quod proprie nihil aliud significat quam *δόμος* ab Alexandrinis pro *δέμας* usurpatur, corporis figura. Apoll. Rhod. III, 1396. Lycophr. 334. 783. Nic. Ther. 153. 259. 817.

εἶαρ succus, sanguis, Callim. fr. 201. Euphor. fr. 38, 3. Nic. Alex. 86. 314 et Ther. 701 ex emendatione Schneideri. Opp. II, 618. Cf. Naek. Callim. Hec. 185.

εἰσαΐω Nic. Alex. 220. Rhian. p. 202. Mein. Theocr. 7, 88 alii.

ἐπιπροθέω Nic. Ther. 382. Apoll. Rhod. I, 582. Paull. Sil. amb. 238. Sic *ἐπιπρονεύω* Nic. Ther. 374. Cyneg. IV, 122. *ἐπιπροπίπτω* Nic. Alex. 496. Apoll. Rhod. IV, 1449. Composita cum *ἐπιπρο—*, quorum apud Homerum duo tantum inveniuntur exempla, quibus tertium ex hymnis accedit *ἐπιπροχέω*, mirum in modum Apollonio placuerunt, apud quem ipsum *ἐπιπρὸ* praepositio est. Secuti sunt recentiores epici, aut hunc, aut Nicandrum imitati.

ἐρευθήεις Nic. Ther. 899. Apoll. Rhod. I, 727. Paull. Sil. 633. *ἐρευθής* habent Arat. 784. Cyneg. III, 94.

ἡμέριος apud Atticos scriptores est adiectivum, idem quod *ἡμερήσιος*, breviter vivens. Cf. Lob. Phryn. 55. Apud recentiores poetas, qui usum poetarum Atticorum in vocabulis *ἐφημέριος* et *ἐφήμερος* sequuntur, *ἡμέριοι* sunt homines. Nic. Ther. 346. Loll. Bass. Anth. VII, 372. Maneth. I, 338. II, 7.

θυωρός est mensa sacrorum, *τράπεζα ἡ τὰ θύη φυλάσσουσα*. Cf. Spanh. in Callim. h. Dian. 134. Formam *θυωρίς* Poll. On. IV, 123, verbum *θυωρέομαι* sacra epulor, Hesychius suppeditat. Sed in hoc vocabulo aliquantum sibi indulserunt poetae docti, itaque *θυωρίτης* minister in mensa sacra, apud Lycophr. 93 nihil aliud est quam *τραπεζίτης*, examinator vel custos auri argentique, quem nos dicimus einen muenzwart. Vocavit autem Paridem *κάλλους θυωρίτην*. Apud Nicandrum denique, qui de *θύῳ* arbore atque *θύει* thure cogitavit, *θυωρός* Ther. 103, idem est quod *μυρεψός*, unguentorum coquus.

ἰσαίεσθαι parem esse, Arat. 235. 513. Nic. Alex. 398. fr. II, 56. *ἰσαῖος* pro *ἶσος* dixerunt Callim. h. Iov. 63. Nic. Ther. 359.

καταχθής oneratus, Arat. 1044. Nic. Alex. 322.

κεβλήγονος e vertice natus, Alex. 433. Apud Euphorionem fr. 159 *κεβλήγονος* vocatur Minerva. *κέβλη* vel *κεβλή* secundum Arcadium fortasse, pro *κεφαλή* Callimachus dixit fr. 140. Sed iam Aristoph. Avv. 303

habet κεβλήπυρις. Quae a poetis Alexandrinis per apocopen et syncopen e falso analogiae studio in formis quibusdam novata sint, Meinekius collegit Anall. Alex. 131. E Nicandro huc faciunt Ἀφρώ pro Ἀφροδίτη Alex. 406, μελισσόβοτον pro μελισσοβότανον Ther. 677, ὄραμνος pro ὀρόδαμνος Alex. 154. Agath. Scholast. A. P. V, 292. Paull. Sil. 293, alia.

κηκάρ Alex. 185, ubi Scholl.: κακωτική, κακοποιός, κακοῦργος ἢ χλευαστική, Cf. Etym. s. v. Bentley ad Callim. fr. 253. Vocabula cognata κηκασμός habet Lycophr. 545. 692, κηκάζω 1386.

κινώπετον vermis, Nic. Ther. 26. 195. Callim. h. Iov. 25, ubi Scholl.: τὰ θηρία, οἱονεὶ κινώπεδα, παρὰ τὸ ἐν τῷ ἐδάφει κινεῖσθαι, quibuscum ad verbum paene consentiunt Scholl. Ther. 16. Eandem significationem Ther. 141 habet κινωπηστής, hoc enim e codicibus pro κινωπιστής revocandum, sicut ἑρπηστής pro ἑρπετόν dicitur. Cf. Lobeck. Paralipp. p. 449. Dixit etiam κνώψ Nicander, eodem significatu Ther. 499. 521. 751.

λαβράζω Nic. Alex. 160. Lycophr. 260, unde ad Tzetzen venit. Homericum est λαβρεύομαι Il. ψ, 474. 478.

λεγνωτός Nic. Ther. 726, siquidem vera est scriptura, nam λιγνωτός agnoscunt Scholiastae. De veste cui clavi ad oram assuti sunt usurpatum a Callim. h. Dian. 12. Cf. Spanhem. ad h. l. Vocabula λέγνη, λέγνον, λεγνόω apud glossographos extant.

μνῖον Alex. 496, cum μνιώδης, μνιόεις, μνιαρός apud Alexandrinos tantum inveniuntur.

νήχυτος Nic. Alex. 600. Ther. 33. Cf. Naek. Callim. Hec. 87.

ὁλκαῖος adiectivum, tractus, ductus. Nic. Ther. 418. 163. 267. Apoll. Rhod. I, 314. ὁλκαῖον πτερόν Lycophr. 216 de summa aratri parte dixit. ὁλκαίη est cauda quae trahitur in arena. Callim. fr. 547. Nic. Ther. 122.

ὀλόπτειν evellere, τίλλειν, λεπίζειν. Callim. h. Dian. 77. Nic. Ther. 551. Antip. Sid. A. P. VII, 241. Saepe apud Nonnum. Cf. Ruhnken. ep. crit. II, 145.

ὄλπη ampulla oleum continens, qua in palaestra utebantur, e corio potissimum fabricata, Theocr. II, 156 ubi scholia perperam tradunt ὄλπην dorice dici, quia ex aere Corinthio facta sit. Certe XVIII, 43 ὄλπις (exhibet hanc formam etiam Callim. fr. 181) argentea est. Nic. Ther. 80. 97. Cf. Naek. Hec. 115, qui copiose de hoc vocabulo Barkerum disputasse auctor est, ad Etym. M. 1112 sq. Attice ὄλπη dicitur λήκυθος.

οὐλοός metri caussa pro ὀλοός dictum, Nic. Ther. 352. 759. Apoll. Rhod. II, 85. III, 1420. IV, 367. 410. 1053. 1204. Procl. h. II, 25.

ὀχέη i. e. χειά, Arat. 1026 (ὀχῆς 956). Callim. fr. 438. Nic. Ther. 139. Cf. Naek. Call. Hec. 180.

περιηγής in circulum actus, rotundus, doctum vocabulum pro περιφερής. Callim. h. Del. 198: κυκλάδας ὀψομένη περιηγέας. Apoll. Rhod. I, 559: περιηγέα κάλλιπον ἄκρην. II, 894. III, 138 de annulis, 1032 de scrobe, 1365 de saxo, IV, 950 de pila usurpatur. De recentioribus cf. Nack. Opusc. I, 226. τόξος περιηγής vocatur a Dion. Perieg. 157.

προσμάσσειν τινί τι alicui aliquid appropinquare, infringere, poetae scenici dicunt et Alexandrini, velut Lyc. 783. Nic. Ther. 922. Apud Theocr. III, 29 ποτιμαξάμενον passiva significatione positum est. Sed προσμάττεσθαί τινί τι solus quantum memini dixit Nic. Ther. 181. 772. Nam quod Lycophr. 1029, mare Siculum Pachynum circumfluens προσμάττεσθαι dixit, huc non pertinet.

ῥήν ovis Apoll. Rhod. IV, 1497. Nic. Ther. 453. Homerus compositum habet πολύρρην I, 154. 296 i. e. πολύαρνος, πολυβούτης.

ῥόχθος referendum ad Homericum ῥοχθέω, Lycophr. 402. Nic. Alex. 290. 390.

σκαρθμός Apoll. Rhod. III, 1260: ἀρήιος ἵππος σκαρθμῷ ἐπιχρεμέθων κρούει πέδον ubi scholia parum apte σκαρθμῷ per ποδί interpretantur. ἵππου σκαρθμός apud Arat. 281 est equi salientis pes. Lycophr. 101: σκαρθμῶν ἰαύσεις εἰναφώσσωνα στόλον, ubi scholl.: σκαρθμοὶ κινήσεις. Nic. Ther. 139: σκαρθμοὺς ἐλάφων. Cf. scholl. ad h. l. Homerus ἵππους εὐσκάρθμους vocavit Il. N, 31.

τροχάω i. q. τροχάζω, τρέχω Nic. Ther. 166. Arat. 227. 309. 1105. Anacr. 29, 6. Paull. Sil. 820. 856. amb. 81. Etiam composita habent Alexandrini ἐπιτροχάω et περιτροχάω. Homericum est τρωχάω Il. X, 163. Od. ζ, 318.

ὑδατόεις Nic. Ther. 239. 300. Dion. Perieg. 782. Saepissime in Anthologia. Classicum est ὑγρός et ὑδαλέος.

ὑδέω Apoll. Rhod. II, 528. IV, 264. Nic. Alex. 47. 525. ὑδείω Callim. h. Iov. 76. ὕδω, ὕδης, ὕδνης e lexicis tantum innotuerunt.

φιαρός vocabulum Alexandrinum, quod apud Philostratum extare Imm. I, 31, quem etiam Alexandrinis poetis operam dedisse Kayserus monuit in Prolegg., non miror, tam splendoris quam soliditatis habet notionem. Cf. Intpp. Theocr. XI, 21. Nic. Alex. 386. 91: φιαρὴν δὲ πότον ἀποαίνυσο γρῆυν i. e. splendidam vel pinguem in lacte pelliculam, nam minus accurate scholia: τὸν πεπηγότα ἀφρὸν τοῦ γάλακτος interpretantur. Cf. Etym. M. Galen. glossar. Hipp. s. v.

χλόος color lividus, qui Attice χλόη vocatur. Nic. Alex. 475. 583. 592.

Apoll. Rhod. II, 1216. III, 298. IV, 1279. Omnino est pro χλωρός, sicut ἔγχλοος, cuius accusativum ἔγχλοα per metaplasmum formavit Nic. Ther. 676, pro ἔγχλωρος. Ceterum hoc non unicum heteroclisiae exemplum apud eum est. Nam a φλόος i. e. φλοιός formavit accus.: φλόα Alex. 303, a κλάδος, κλάδας pro κλάδους apud Athen. XV, 684 A., κλαδέεσσι pro κλάδοισι Georg. fr. II, 19. Et cum saepe Nicander pro usitatis alicuius vocabuli formis paragogis, antiquiores magisque ad ipsam stirpem accedentes revocare soleat, non dubitavit per heteroclisiam quandam, pro κλύδωνα accusativo formam acephalam κλύδα Alex. 169 conficere. Eodem spectat genet. ζορκός Ther. 42 pro ζορκάδος, nam ζόρξ nominativus fictus est a grammaticis, cf. Lobeck. Paralipp. p. 111. Sed ut in Georg. fr. II, 2: γένη γε μὲν ἴασι δισσά, quod Lehrsius vertit, genera autem iadum, violarum sunt duo, formam ἴασι agnoscam, sive per metaplasmum ab ἴον, sive cum Lobeckio Pathol. p. 443 per paraschematismum ab ἰάς derivatum, persuaderi non potuit. Primum enim obstat syllaba producta. Dein frequentia sunt apud Nicandrum paraschematista in ειον, cf. dissert. de orac. Sibyll. p. 33, rara in ας, quorum tria tantum inveni exempla, βουνιάς fr. III, 5 pro βούνιον, ἐρινάς Ther. 854 pro ἐρινέος vel ἐρινός, οἰνάς Alex. 355, 444 pro οἶνος, tuta a synonymorum confusione omnia. Contra ἰάς est adiectivum i. q. Ἰωνία. Atque Schneiderus: ἴασι, inquit, est pro εἰσί, nisi scribendum δισσὰ ἔασι. Hoc unice verum, itaque lege: γένη μὲν δισσὰ ἔασι. Nam ἴᾱσι nunquam pro εἰσί dictum est. Antim. fr. 30: ἐγγύθι δὲ προχοαὶ ποταμοῦ Λάδωνος ἴᾱσι, recte Meinek. de lect. p. 128 emendavit. ἴᾰσιν autem prorsus est barbarum. Superest:

ὠπή figura, adspectus. Nic. Alex. 376. Ther. 274. 657. Apoll. Rhod. III, 821. 908. De τμήγω autem, ἀποτμήγω reliquisque compositis Naekii disputationem commemorasse sufficit ad Callim. Hec. p. 43.

CAPUT QUARTUM.

GLOSSARIUM NICANDRI.

His autem profligatis et singillatim expositis ad ultimum genus vocabulorum progredior, quae aut primum apud Nicandrum inveniuntur, aut nove ab ipso formata sunt, aut prorsus novam et inauditam induerunt significationem. Hic autem eadem fere ratione qua apud Lycophronem, uberrimus obscuritatis Nicandreae fons ex usu sive abusu potius imaginum et tropicae orationis manavit. Nam ut leviora omittam, veluti quod *λώβη* et *ἄτη* vocabula de venenis usurpavit, quod *κόρσην* h. e. tempora vel partem capitis qualemcunque, Ther. 905 de toto capite dixit, ineptiores metaphorae, quae Lycophroneis vix superantur, hae sunt:

ἀκτίς Alex. 401 totum diem significat. Cf. Bernhardy. Syntax. p. 80.

ἅρπη Ther. 557 dens vocatur hippopotami.

κνηστήρ Alex. 309 scalprum. Cf. Hesych. s. v. Dentum aciem *κνηστῆρα* vocavit Nicander Ther. 85.

μόθος bellicus heroum labor, Ther. 191 inepte ad pugnam ichneumonis cum aspide tralatus.

νύμφαι Nicandro fere semper aquam denotant.

πῶλος pullus equinus. Sicuti *δάμαλις* in Anacreonticis quae feruntur, cf. Intpp. Horat. c. I, 23, de nova nupta usurpatum Alex. 65.

σκῆνος proprie est domicilium. Pythagorei corpus humanum ita vocabant utpote animae domicilium. Nic. Ther. 742 corpus animalium. Sic Antiph. A. P. IX, 404. *σκῆνος μελίσσης* dixit.

τρὺξ σιδηρήεσσα Alex. 51 scoriam ferri vocavit Nicander, quemadmodum apud Euod. A. Pl. 155 Echo *φωνῆς τρύξ* nominatur. Cf. Lobeck. in Phryn. p. 73.

Proxime accedit mos ille, quo notissimo cuique vocabulo novae et inauditae tribuuntur notiones (cf. supra p. 51) ita ut dubius interdum haereat lector, utrum doctrinam magis an nugas Colophonii admiretur. Vel scholiastae saepissime *καταχρηστικῶς* locutum esse Nicandrum queruntur. Huc autem pertinent:

ἄντλος. Exquisitam huius vocabuli notionem a Suida servatam: *συγκομιδὴ τῶν ἀσταχύων ἐν τῇ ἅλῳ* Nic. Ther. 114 et poeta Anth. VI, 258 exhibent.

ἀμνός est agnus. In Alex. 150 *κεράστης ἄμνος* est aries, ubi Scholl.: *ἀμνὸς ἔστιν ὁ μηδέπω κέρατα ἔχων. πῶς οὖν οὗτος κεράστην εἶπεν οὐκ ὀρθῶς;*

ἄφραστον est id de quo iudicium quia non intellegitur ferri nequit. Sic *φάτις ἄφραστος* Soph. Trach. 691, ubi Scholl.: *ἀνεκδιήγητος*. In Aesch. Pers. 161 significat ineffabile. Apud Nicandrum Ther. 776 est ineptum, vesanum. Sic *ἄφραστοι ἐλπίδες* vocantur apud Paull. Sil. amb. 42.

βρωμηστήρ et *βρωμήτωρ* apud Nicandrum nomen est asini, *σκίναξ* leporis, quo cum conferatur *πτώξ* apud Homerum, *φερέοικος* apud Hesiodum.

γεράσμιον in Hom. h. Merc. 122 illud est, quod honorem alicui tribuit, apud tragicos id quod honore dignum est, apud Nic. Ther. 613 id quod honoratum sive in honore est.

γλῆνος Ther. 228. *καταχρηστικῶς* pro *γλήνη* dictum.

δύσπεπτον illud vocatur, quod haud facile digeritur et concoquitur. Alex. 296 semen nondum maturatum.

ἦτρον secundum Tim. Lex. Platon., cf. Ruhnken. p. 135: *ὁ μεταξὺ ὀμφαλοῦ τε καὶ αἰδοίου τόπος.* Festive apud Arist. Thesm. 509: *χύτρας ἦτρον* legitur. Nic. Ther. 395: *νάρθηκος ἦτρον* vocavit ferulae medullam, *ἐντεριώνην*.

κυέειν gravidam esse. Ther. 239 omnino aliquid intus gestare.

μείρομαί τινος Ther. 402 docte pro *ἱμείρομαί τινος* positum est. Paullo melius apud Arat. 665 *μειρομένη τινός* idem est, quod *ἀμειρομένη τινός*.

στάδιος erectus. Alex. 402 pensatus, ponderatus.

σπείρημα nexus, flexio. Alex. 417 lintea incunabula. Eustath. in Dion. Perieg. v. 1153: *σπειρήματα, ὅ ἐστι σπείρας, ὁλκούς· ὅθεν καὶ σπειροῦν λέγεται τὸ σπαργανοῦν, καὶ σπεῖρον ὀνομάζεται τὸ εἰς τοῦτο χρησιμεῦον ὕφασμα.* Cf. Spanhem. in Callim. p. 15.

χοῦς aut mensura quaedam humorum est, aut *χῶμα* aggerem significat. Apud Nic. Ther. 103: *ῥόδεος χοῦς* est oleum rosaceum.

Porro novimus ridiculum morem Lycophronis, qui tritis vocabulis et vulgaribus curiose abstinuit, ita ut pro *υἱός* — *κέλωρ, ἶνις, ἄμναμος, φίτυμα* — pro *πατήρ, φίτυς* — pro *ὄνος, ἀμφώδων, κάνθων* diceret. Cf. Reichard. in praef. edit. p. 28. Et hoc quidem vitium in Nicandrum non cadere videtur, quamquam vocabulum *ἄνθρωπος* apud eum legisse non memini. Quo magis in illud incidit, ut consulto rarissimam quamque vocabulorum formam delegerit eamque ipse ad aliorum analogiam immutaverit, quod cum in aliis, tum in adiectivis conspicuum est.

Nam cupidissimus est Nicander, de quo iam Fl. Lobeckius in Philol. VII. p. 208 extr. observavit, adiectivorum in εις, ηεις, οεις et ης exeuntium, quae paene sola admisit. Itaque leguntur apud eum: ἀιδρήεις pro ἄιδρις, αἰθήεις, ἀκινήεις, ἀκοσμήεις pro ἄκοσμος, ἀλγινόεις, ἀμυδρήεις pro ἀμυδρός, ἀραχνήεις et ἀργής pro ἀργός, ἀργινόεις, αὐγήεις, ἀφριόεις, βλαβόεις, γλαγόεις, ἐγκατόεις ilia continens, εἰλικώεις pro εἰλικώδης, ἐρευθήεις, ἐχιδνήεις pro ἐχιδναῖος, ζοφόεις, θερόεις pro θερινός, θηλήεις (cod. Paris. Alex. 42. Cf. Meinek. Anall. Alex. p. 44), θυλακόεις, ἰκτεριόεις, ἰλυόεις, ἰξιόεις, κεντρήεις, κληματόεις, κονύζήεις, κραμβήεις, λοιγήεις et λοίγης pro λοίγιος, μελισσήεις, ναυσιόεις, ὀδμήεις, ὀπάεις, οὐρανόεις, ὀργυιόεις pro ὀργυιαῖος, πετρήεις, πηγανόεις, πυρόεις, πορφυρόεις pro πορφύρεος, ῥαγόεις, ῥικνήεις pro ῥικνός, σιδόεις, σιλφιόεις, σκορπιόεις, σκοτόεις, τρυχόεις, ὑπαυχμήεις (Georg. fr. V. Schneid. ad Ther. p. 301. Lobeck. l. l. p. 208), φωκήεις (Alex. 483. Fl. Lobeck. Quaestt. Ion. p. 155), χαλαζήεις, χαλβανόεις, χιονόεις et χιονώδης pro χιώνεος.

Praeterea: ἀγραυλής pro ἄγραυλος, ἐμφθορής, ἐπιλωβής, ἑτεροπλανής, εὐβρεχής, θερειγενής, θερειλεχής (ceterum nulla ante Alexandri magni aetatem inveniuntur exempla composita cum θερει—), κακοφθορεύς sive κακοφθορής, καθαλμής, καθυπνής, λιχμήρης, νεοηλής, ὁμήρης et ἐνομήρης, ὀσμηρής, πολυαυξής, πολυχανδής, ῥηχώδης, σπειρώδης, συνήρης, συνομήρης, σχοινώδης pro σχοινοειδής, ταυρώδης pro ταυροειδής, ὑληώρης pro ὑλώδης, φοινώδης, ἐυκιμοειδής.

Dixit etiam Nicander ἀνούτητος pro ἀνούτατος, ἀμισγής pro ἀμιγής, αὐτικρηής pro αὐτοκέραστος, γέρυνος pro γύρινος, ἐάρτερος pro ἐαρινός, ἐμπληγής pro ἔμπληκτος, ζόφεος pro ζοφερός, ἰρίνεος pro ἴρινος, πεδανός pro πεδινός, πολυωπής pro πολυωπώς, ταχινός pro ταχύς, φάληρος pro φαλαρός, φοινός pro φοίνιος, λωβήτωρ pro λωβήτηρ. Fluctuat inter ἀεργός, ἀεργής, ἀεργηλός, inter κύμβη, κύμβος gen.: — ου, κύμβος gen.: — εος.

Substantivorum quidem terminationes, quas prae ceteris usurpaverit, nullas animadverti, tamen in his quoque formas rariores fere ubique praetulit usitatis, itaque λίθαξ dixit et λίθος, βλάστη et βλαστός, οἴνη et οἶνος, ἀρδηθμός pro ἀρδμός, ἀφόρδια Alex. 139. Ther. 692 pro ἀφοδεύματα, βουνιάς pro βούνιον, γογγυλίς pro γογγύλη, ἐχιεύς pro ἔχις, κνηθμός pro κνησμός, νῆρις pro νήριον, ὀρταλιχεύς pro ὀρτάλιχος, πέσκος pro πέκος, τρίσφυλλον pro τρίφυλλον, φρῖκος pro φρίκη, ῥιζίς et ῥιζίον praeter ῥίζα. De aliis quibusdam paraschematistis iam supra exposui. Reliqua huius loci non sunt. Etiam rariora verba enotavi haud pauca: ἀμβλώσσω pro ἀμβλυώσσω, βρυχανάομαι pro βρυχάομαι, θε-

ῥείω pro θέρω, θερμάζω pro θερμαίνω, καπνείω pro καπνίζω, κατατρύζω pro κατατρύχω, κατικμάζω pro κατικμαίνω, κατεμματέω pro ἐμμάσσομαι, καρδιάω pro καρδιαλγέω, κορέσκω pro κορέννυμι, κυνηλατέω pro κυνηγέω, λαιμώσσω pro λαιμάσσω, λαιφάζω vel λαιφάσσω pro λαφύσσω, λιστρόω pro λιστρεύω, μαιμώσσω pro μαιμάω, μυδάζομαι pro μυσάττομαι, σαλάσσω pro σαλεύω, σκιρόω pro σκιρτάω, σκυλάω pro σκυλεύω, ὀδμάομαι pro ὀσμάομαι, τελίσκω quamquam hoc dubium est pro τελέω, ὑποβρομέω pro ὑποβρέμω, χλιάω pro χλιαίνω, χλοάω pro χλοάζω Ther. 777. Cf. Nonn. Dion. IX, 207. Agath. A. P. V, 292. Paull. Sil. 289.

Restat ut in fine commentationis etiamnum ea proferam, quae quia difficiliora erant, omissa in praecedentibus capitibus, consulto huic loco seposui. Sunt autem haec:

ἀείδελος id quod cerni non potest. Apud Opp. Hal. I, 86 Cyneg. III, 160 significat humile, tenue. Apud Nic. Ther. 20 illud, quod oculorum aciem praestringit, aut quia semper in conspectu (ἀεὶ — δῆλος), aut quia aspectus eius rei ferri non potest (ἀ — ειδής).

ἀλυκρός semel extat in Alex. 368 pro θαλυκρός, quod in A. P. V, 220 legitur, a Suida per διάπυρος, ab Hesychio per ἀναιδὲς, πανοῦργον explicatum. In Nicandri loco est tepidum.

ἀμφικάρηνος vocabulum Nicandro proprium. Alex. 417 ἀμφικάρηνα κομάων sunt longi capilli, quibus caput cinctum est. Ther. 372 usurpatur de bicipite amphisbaena. Cf. Ther. 812 ἀμφικαρὴς σκολόπενδρα quod olim in Od. ρ, 231 legebatur.

ἀνιγρός pro ἀνιαρός primum extat apud Nic. Alex. 36. 548. 627; Ther. 8. 701 unde ad Oppianos et alios pervenit.

ἄρβηλος semel dictum Ther. 423. Scholl.: ἄρβηλοι λέγονται τὰ κυκλοτερῆ σιδήρια, οἷς οἱ σκυτοτόμοι τέμνουσι καὶ ξύνουσι τὰ δέρματα. Est scalpellum.

ἀρπεδής Ther. 420 ubi Scholl.: ἀρπεδὲς οἷον ἐπίπλατυν καὶ ὁμαλὸν, δηλαδὴ οὐκ ὀξυκέφαλός τις. ἐστὶ δὲ παρὰ τὴν ἔραν, ἤγουν τὴν γῆν, οἱονεὶ ἐροπεδές. ἢ ἀρπεδὲς, ἐπεὶ κατὰ τὴν ἀρπεδόνα λεπτόν. Cognatum est vocabulum cum ἀρπέζα vel ἁρπέζα, Ther. 393. 647. Ad priorem locum scholiastae haec annotaverunt: ἀρπέζα τὸ κάτω καὶ ἔσχατον τοῦ ὄρους ἤγουν ἡ πέζα τοῦ ὄρους, οἱονεὶ ὀρόπεζα. De ὑφάρπεζος supra dictum est. Vocabulum ἄρπιξ dumetum significat apud Hesychium.

ἀτάρμυκτος impavidus, Alex. 161. Citatur hoc adiectivum, de quo Bentleius dixit ad Horat. Carm. I, 3, 18 ex Euphorione a lexicographis. Cf. Meinek. Anall. Alex. p. 130. Docti poetae omnino τάρμος dicebant pro

τάρβος. Apud Hesychium est *ταρμύξασθαι φοβηθῆναι* et *ταρβύζειν ταρβεῖν*. Itaque *ἀτάρμυκτος* dictum est pro *ἀτάρβητος*.

ἀτμεύειν τινί Alex. 172 alicuius ditioni subiectum esse. Exspectatur *ἀτμενεύειν* sicut *ἀτμένιος, ἀτμενία* et reliqua quae ab *ἀτμήν* derivantur.

ἀφύξιμος copiosus. Sic Ther. 603 *οἴνη* vocatur, *παρὰ τὸ ἀφύσσειν* secundum scholia. Similiter Alex. 597 *νέκταρ ἀφυσγετόν* i. e. *πολύ* dixit, quamquam *ἀφυσγετός* proprie substantivum est, lutus.

δράκος oculus, Alex. 481. Docte formavit Nicander hoc vocabulum a verbo *δέρκομαι* a quo etiam *δράκων* derivatum esse veteres censebant, utpote *ὀξὺ βλέπων*, vel *ὄψει καταπλήττων*.

ἕπω dico, Alex. 429. 490. Ther. 508. 738. Formatum ab *ἐνέπω*, cf. Lobeck. Paralipp. p. 166, quod olim pro composito habebatur, cf. Buttm. Lexil. I. p. 279. 288.

ἕρμαξ semel extat Ther. 150, ubi scholl.: *ἕρμακας τοὺς ἑρμαίους καὶ λιθώδεις τόπους, ἢ λίθους σεσωρευμένους εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ.* Hesych.: *ἕρμακες*] *ὕφαλοι πέτραι, αἱμασιαί.*

ἔρσω Ther. 62. 631. Unicum verbum Graecum, praeter *τέρσομαι*, in *ρσ* terminatum. Cf. Lobeck. ad Buttm. gramm. II. p. 300.

ἔρφος Alex. 248. 343. Ther. 376, et *τέρφος* Ther. 323. Alex. 268, apud solum Nicandrum leguntur. Ionicum esse fertur vocabulum pro vulgari *στέρφος*, cf. Scholl. Apoll. Rhod. IV, 1348. Lycophr. 1347. Sed forma primaria fuit *στρέφος*, quod Hesychius in glossa servavit.

λάθαργος Ther. 422. Scholl.: *ξύσμα τῶν δερμάτων.*

λαιδρός Alex. 576. Ther. 689. Scholl.: *λαιδροὺς τοὺς ἀναιδεῖς διὰ τὸ βοᾶν ἀεὶ τῇ φωνῇ τραχυτέρᾳ.* Apud Hesychium invenitur verbum *λαιθαρίζω*.

λάκτις Ther. 109. Scholl.: *ὁ λεγόμενος παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἀλετρίβανος, νῦν δὲ λέγει τὴν τορύνην, τὸ κίνητρον.* Cf. Naek. Callim. Hec. p. 141.

λαχύφλοιος genuina lectio pro *δασύφλοιος*, Alex. 268: *καστηνοῦ καρύοιο λαχυφλοίοιο κάλυμμα* *), ubi scholl.: *ἐλάχιστον φλοιὸν ἔχοντος.* Aliam interpretationem proposuit Nitzsch. ad Odyss. IX, 116, ubi de *νήσῳ λαχείᾳ* sermo est. Putat autem ex hoc vocabulo, quocum comparavit *λάχνη, λαχνήεις, λαχμός* et similia, eruendam esse obsoletam ali-

*) Vulgo legitur in hoc versu contra metrum *καστανοῦ*, pro quo Lehrsius *καστανέου* scripsit. Sed Nicandreum puto fuisset *καστανίου*. Praestantissimi autem codices omnes habent *καστηνοῦ*, quam formam recipiendam et lexicis inferendam esse censeo.

quam radicem *ΛΛΧ*—, cum notione asperi, incomti quae in lanam et densa arbusta conveniret. Itaque *λαχύφλοιον* esset id, quod hirsuto corio circumdatum est.

λιπόω semel in Ther. 81 pro *λιπαίνω, ἀλείφω* dictum. Notionem splendendi prae pinguedine habet apud Callimachum fr. 141, et Naekio auctore, apud Gregorium et Synesium.

λίγδος mortarium, Ther. 589. 618. Attice vocatur *ἴγδη* vel *ἴγδις*. Cf. Lobeck. Phryn. p. 165.

λογάδες, αἱ. Ther. 292, oculorum albedo, ita scholl. et Hesych. Apud Paullum Sil. A. P. V, 270 oculum ipsum denotant.

μάλκη. Primum invenitur hoc substantivum apud Nicandrum Ther. 382, quod ipse in Glossis interpretatus est *ῥῖγος περὶ τοὺς πόδας καὶ χεῖρας* et de frigore usurpaverat in Sicilia carmine. Cf. schol. ad h. l. emendatum in dissert. de Nic. p. 11. 27. Sed verbum *μαλκιάω* iam habent Hesiodus et Aeschylus.

μαυλίς Ther. 705 per *μάχαιρα* explicatur in scholl. Pluralis *μαύλιες* redit in epigrammate A. P. XV, 25.

νῶκαρ Ther. 189 scholl.: *νῶκαρ δ' ὁ κάρος ἤτοι ὁ ὕπνος, οἱονεὶ τοῦ νοῦ κάρωσις.* Hesychius explicat vocabulum per *νύσταξις, νωθεία*, sopor. Alii sumpserunt pro adiectivo, *δυσκίνητος. νοκαρώδης* habet Diphilus apud Athen. IV, 133 F.

ὁλκός proprie tractum significat, i. e. aut illud quod trahendo efficitur, veluti sulcus: noti sunt *ὁλκοὶ τῶν νεῶν* apud Herodotum et grammaticorum de hoc loco disputationes: aut illud quod trahitur ipsum sulcos efficiens. Hanc significationem, quam primum invenimus apud Eurip. Ion. 145, ubi *ὁλκοὶ δάφνης* sunt scopae laureae per solum tractae, adamaverunt poetae Alexandrini. Itaque *ὁλκόν* Nicander saepius corpus serpentum vocavit, Ther. 266. 316 all. Etiam linguam, utpote longe extenuatam, Alex. 79: *ἀμφὶ καὶ ὁλκὸς τέτρηχε γλώσσης*, ubi scholl.: *περιφραστικῶς τὸ μῆκος καὶ ἡ παράτασις τῆς γλώσσης.*

ὄμπνη, ita enim scribendum pro *ὄμπη*, secundum lexica est cibus e fructibus agrestibus consistens. Frumentum qualecunque significant *ὄμπναι* apud Lycophr. 621. *ὄμπναι* vocabantur etiam frumenta melle ad offas sacras praeparata. Cf. Poll. Onom. I, 28. Apud Nic. Alex. 450 *ὄμπναι* sunt favi alveorum.

ὄστλιγξ. Rarum vocabulum, pro quo etiam *ἄστλιγξ* dicebatur, cf. Ruhnken. ad Hesych. v. *ἄστλιγξ.* Hesychius habet: *ὄστλιγξ* (*ὄσταλιγξ* quod in textu est, ortum fortasse ex supra scripto *ἄστλιγξ*) *πλόκαμος, ἕλιξ, βόστρυχος, ἢ τὸ ἐν βότρυσι γινόμενον.* De vitium cirrhis usurpatum a Theophr. H. Pl. III, 18. De fulmine vel potius oculorum scintillis

ab Apoll. Rhod. I, 1297. Omnino illud est quod flexam et anguis speciem exhibet, ab una puto radice (*ΔΙΓ.*) profectum cum verbo *ἑλίσσω*. Cf. Nic. Alex. 470, ubi scholl.: *ὄστλιγγας δὲ λέγει τοὺς βοστρύχους, ὅ ἐστι τὰς κόμας τῶν τευθίδων καὶ σηπιῶν, ἐν αἷς ἄρτι γενώμενοι οἱ θαλάσσιοι λαγωοὶ διατρίβουσιν.*

πέμφιξ. Hoc quoque rarum est vocabulum, de cuius notione parum inter grammaticos convenit. Aut enim per *πνοή*, aut per *ῥανίς* explicatur. Vide, quas veterum interpretum sententias Galenus collegit, T. XVII, I. p. 879 K, diiudicatas ab Hermanno Opusc. IV, 276 sq. Prior explicatio apta est in Aesch. fr. 181. Soph. fr. 319. Altera in Aesch. fr. 159 et plerosque Alexandrinorum locos, velut in Callim. fr. 499. Euphor. p. 113. Nic. Ther. 273.

σκίναρ semel in Ther. 694 pro *σκῆνος, σῶμα* dictum.

σπληδός i. q. *σποδός*, cinis. Lycophr. 483. Nic. Ther. 763.

τράμπις navis, Lycophr. 97. 1299. Nic. Ther. 268. Cf. scholl. ad h. l.: *τράμπις δ' ἐστὶ βαρβαρικὸν πλοῖον.* Etym. M. s. v.

φοινός. Alex. 187: *κεῖνο ποτὸν δή γάρ τε καρήατι φοινὸν ἰάπτει.* Scholl.: *ἀντὶ τοῦ πεφοινιγμένον ἢ ὀλέθριον, φόνιον κατὰ πλεονασμὸν τοῦ ι.* Itaque hunc constituunt verborum ordinem, *ποτὸν κεῖνο φοινὸν ἰάπτει καρήατι.* Atque *ἰάπτειν* apud Alexandrinos poetas universe quidem violare notat, male aliquem afficere, semper vero cum accusativo rei violatae coniungitur. Cf. Apoll. Rhod. II, 877: *οὔτις ἰάψει ναυτιλίην*, et quae praeterea congessit exempla Koechly in Quint. Smyrn. III, 455. Quapropter hic interpretandum est: potus, qui perniciem demittit in caput, et *φοινός*, melius fortasse *φοῖνος*, substantivum esse censeo, i. q. *φόνος*.

Haec autem ea sunt, quibus vocabulorum delectus, qualem Nicander exhibuit, illustrari debebat. Ceterum confido me in hac commentatione operam non prorsus inutilem navasse. Nam hac demum ratione, elocutione uniuscuiusque scriptoris accurate examinata, lexica et thesauros linguae Graecae ad eam censeo perfectionem posse adduci, quae etiamnum in iis desideratur: eam dico, ut quasi historiam uniuscuiusque vocabuli, eiusque per singula litterarum genera a scriptoribus immutatae notionis accurate exhibeant. Hoc autem qui fieri potuit, cum cotidie etiam nunc multa inveniantur vocabula, quorum nullam lexica faciunt mentionem? Iam vero nonnulla in fine huius commentationis proferre mihi liceat, quae forte inveni neglecta, non anxie circumspexi, nam ne ego quidem 'mille vocabula si quis magister thesauris linguae Graecae possit

suppeditare, praeclare eum de studiis antiquitatis meriturum esse auguror.' Sunt autem haec:

ἀγακλείεις Apollin. Metaphr. 105, 50. 110, 9. 143, 6. 144, 22.

ἀγακλειής Apoll. 145, 12.

ἀγακλήεις Paull. Sil. Ecphr. Soph. 434. Apoll. 36, 33. 42, 8. 43, 49. 60, 10.

ἀερσικάρηνος Paull. S. 814.

ἀθεσμοσύνη Apoll. 36, 61. 91, 13.

ἀκέστωρ, adiect.: ἀκέστορας οἴκους Paull. S. 799.

ἀκυδής Apoll. 106, 80.

ἀμφικατέργω Orac. Sibyll. II, 296 omissum in indice editionis Fridlibianae.

ἀμφιπυκάζω Apoll. 60, 7.

ἀμφισκάπτω Apoll. 79, 33.

ἀμφοτέρωθι, de qua forma dubitatur in Lexicis, Paull. S. 373.

ἀνάρηγμα Apoll. 109, 12.

ἀνθικόμος floridus, Apoll. 76, 37.

ἀντολικός pro ἀνατολικός, quod nisi fallor etiam apud Nonnum legitur, Paull. S. 201.

ἀπύρσευτος Paull. S. 750.

ἀτέρμαντος Apoll. 36, 64. 46, 29. 90, 34. 92, 13.

ἀφειδείη pro ἀφειδία Apoll. 59, 3.

βαθυπρήων Paull. S. 636.

βιώνη Apoll. 41, 21. 55, 15.

βρεμέθω Apoll. 76, 38. 103, 55.

γειαρότης agricola Apoll. 125, 11.

διανήχυτος, διανήχυτον ὄρφνην diffusam caliginem Apoll. 104, 75.

διζυγής Paull. S. 573.

δυσηλεγέως Apoll. 102, 7.

ἐνσφηκόω Paull. Ecphr. amb. 264.

ἐπεμβάς, ὀρέων μὲν ἐπεμβάδος οὔτι χατίζεις, Paull. S. 308.

ἐπιθαρσήεις Apoll. 62, 9.

ἐρημονόμος solitarius Apoll. 101, 11.

ἐρίκνημος excelsus Paull. S. 274. Etiam v. 380 εὐκνήμιδες ἐρίπναι excelsi montes, legendum est ἐρικνημίδες, nam ἐρικνημίς extat ibid. v. 304.

ἐρισθενέτης Apoll. 39, 7. 151, 6 et sic etiam apud Paull. S. 535 pro ἐρισθενίτης legendum est.

εὔγραφος Paull. S. 605.

εὔθεσμος Apoll. 108, 34. 80.

ἐυρρεῖος, genet. Apoll. 106, 66.

εὐρυβίη Apoll. 75, 24. 88, 38.
εὐρυκέλευθος Paull. S. 711.
ἰθύφρων Apoll. 77, 84. 91, 28. 98, 7. 124, 8.
καλλιθέμειλος Paull. a. 105.
καπνοτόκεια Apoll. 149, 9.
κατατερσαίνω Apoll. 36, 3.
κραταιπαγής Paull. S. 619.
ληδιόνοστος captivorum reditus, Apoll. 84, 2.
λιθότμητος Paull. S. 932.
μακρόπορος Apoll. 103, 39.
μεγακλείεις Apoll. 88, 79. 91, 1. 97, 12. 99, 1.
μεγακλύεις Apoll. 76, 29.
μεγασθενέτης Apoll. 95, 2. 135, 5.
μετεκδέχομαι Paull. S. 369.
μουνοκερῆος pro μονοκέρωτος Apoll. 77, 153. 91, 18. Ita ab αἰγοκέρως Aratus formavit αἰγοκερῆος, — ῆι, — ῆα.
μυριόμετρος Paull. S. 457.
ὀκτάζυγος, genet., Paull. S. 732.
ὀκτάπλευρος Paull. S. 728.
ὁμήγορος: οὐδέ μοι ἀλγεινοῖσιν ὁμήγορος ἤλυθεν ἀνήρ neque mihi dolorificis condolens venit vir, Apoll. 68, 43.
ὀρθάδιος, vocabulum Lexicographis suspectum, Paull. a. 53.
παναγήρατος, pro quo saepius παναγήραος dixit, Apoll. 103, 67.
παρελεγχής Apoll. 106, 35.
περιγηθέω Apoll. 50, 28.
περιθαρσήεις Apoll. 70, 11.
περιθάρσυνος Apoll. 56, 2. 70, 29.
περικάμμορος Apoll. 136, 18.
περιπίλναμαι Apoll. 43, 52.
πέτρηθεν de petra Apoll. 80, 35.
πολυκλείεις Apoll. 102, 42. 115, 15. 120, 8.
πολυκυδής Apoll. 76, 6.
πολυστόναχος Apoll. 125, 2.
πολυέτηρος de quo dubitatur in Lexicis Paull. S. 603.
προεντύνω Paull. a. 112.
προκτεατίζομαι Apoll. 73, 3.
προλανθάνω Apoll. 87, 28.
προτιταίνω Paull. S. 225.
πυριφλεγέθων, adiectivi loco, Apoll. 65, 30.
σεβόω Paull. S. 348.
τυρώεις Apoll. 67, 38.

ὑπαραρίσκω Paull. S. 734.
ὑπερεκτανύω Apoll. 120, 1.
ὑπερορμάω Apoll. 82, 29.
ὑπονίσσομαι Apoll. 90, 12. *παρανίσσομαι* 41, 23.
φεγγήεις Paull. S. 891.
ψυχρόπορος Apoll. 106, 37.

COMMENTATIO TERTIA.

DE ODYSSEAE RHAPSODIIS *Ο. Π. Ρ. Σ. Τ.* DISPUTATIO.

Veteres grammatici, cum textum carminum Homericorum ex collatione exemplarium formarent, paucis tantum versuum centuriis, tamquam insiticiis vel alienis obeli notam apposuerunt, quos aut ex aliis locis inepte iteratos esse, aut rerum contextui prorsus adversari putabant. Praeterea vero etiam extremos tam Iliadis quam Odysseae libros, quia elocutione et compositione, praecipue novis quibusdam de rebus mythologicis opinionibus, recentioris aevi originem prodere viderentur, et cum ipso Odysseae Iliadisve argumento non cohaererent, a genuino carminum Homericorum corpore abiudicandos esse censuerunt. Et Odysseae quidem finem in rhapsodiae *ψ* v. 296 posuerunt, id quod scholia nos docent, in quibus haec adnotata sunt: *τοῦτο τὸ τέλος τῆς Ὀδυσσείας φησὶν Ἀρίσταρχος καὶ Ἀριστοφάνης.* Testis etiam Eustathius, qui ubi irato animo Alexandrinorum sententias impugnat, de athetesi eorum eiusque caussis haec inter alia protulit: *εἰ δὲ διότι πολλὰ εὐανασκεύαστα ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς ἐφεξῆς ῥαψῳδίας πεποίηνται, διὰ τοῦτο ἐνταῦθα τὴν Ὀδυσσείαν ἀποτερματίζουσιν, ἔστιν αὐτοῖς στενῶσαι καὶ συσφῖγξαι καὶ οἷον σφηκῶσαι τὴν ὅλην ποίησιν ταύτην ἀφελομένοις ἐκ μέσου τοῦ βιβλίου καὶ ὅσα ὁμοίως μυθικὰ καὶ οὐ πιθανὰ ἐν Φαιακίᾳ ἐλαλήθησαν.* Sophistica vero aetate, in qua studia Homerica paullum delitescere coeperunt, viris litteratis Aristarcheorum sententiae ita displicuisse videntur, ut ultimam Odysseae rhapsodiam pro genuina et vere Homerica non retinerent tantum in carminum corpore, sed etiam singulas eius partes laudibus efferrent: quos respicit Eustathius, qui, *οἱ δὲ τοιοῦτοι,* inquit, *πολλὰ τῶν καιριωτάτων περικόπτουσιν, ὥς φασιν οἱ αὐτοῖς ἀντιπίπτοντες, οἷον τὴν εὐθὺς ἐφεξῆς τῶν φθασάντων ῥητορικὴν ἀνακεφαλαίωσιν, καὶ τὴν τῆς ὅλης ὡς εἰπεῖν Ὀδυσσείας ἐπιτομὴν, εἶτα καὶ τὸν ὕστερον ἀναγνωρισμὸν Ὀδυσσέως τὸν πρὸς τὸν Λαέρτην καὶ τὰ ἐκεῖ θαυμασίως πλαττόμενα καὶ ἄλλα οὐκ ὀλίγα.* Et ne ii quidem defuisse videntur, qui veram Aristarchi sententiam omnino falso intellectam esse dictitarent, tamquam criticorum ille princeps non ipsius Odysseae finem, sed

praecipui tantum huius carminis argumenti in ψ, 296 constituendum esse dixisset. *Εἴποι ἂν οὖν τις,* sic enim pergit Eustathius, *ὅτι Ἀρίσταρχος καὶ Ἀριστοφάνης οἱ ῥηθέντες οὐ τὸ βιβλίον τῆς Ὀδυσσείας, ἀλλὰ ἴσως τὰ καίρια ταύτης ἐνταῦθα συντετελέσθαι φασίν,* similesque nugae, de quibus accuratius quam ut huc transferri possit, Spohnius in comment. de extr. Odyss. parte p. 18 sqq. disputavit, in scholiis quoque inveniuntur et minoribus quibusdam de Homero eiusque ingenio libellis.

Tota vero quaestio, diu intermissa, nostra demum aetate, postquam aleam iecit F. A. Wolfius, tractari coepta est, et primum quidem a Spohnio, cuius modo feci mentionem, qui docte et acute et mea certe laude superius Alexandrinorum iudicium de extrema Odysseae parte confirmavit. Mox autem intellectum est, easdem rationes et caussas, quibus veteres grammatici inducti fuerint, ut extremum librum ab Odyssea alienum esse statuerent, etiam de aliis Odysseae partibus valere. Itaque in hanc sententiam, quam in notissimo libello de genuina Odysseae forma ingeniosius quam accuratius tractavit, abiit Bernardus Thierschius. Secuti sunt alii interpolationum investigatores haud pauci, quos audacia Geppertus fere omnes superavit in eo libro, quem de Homericorum carminum origine germanice scripsit. Is autem, etiamsi in singulis si quae grammaticam spectant et metricam saepe errasse mihi videtur, etiamsi haud pauca cum in ipso Homero tum in scholiis neglegentius et nimis festinate inspexit, alia praeoccupata quadam veri specie deceptus ad suam sententiam inflexit: tamen multa protulit recte et egregie disputata, dignissima saltem quae accuratiori subiciantur examini. Certe non eam sortem meretur hic liber, qualem ipsi qui olim in Rugii annalibus Hallensibus eius egerunt censuram paullo acerbius augurati sunt. Sane vero hoc non ita dictum velim, ac si totam in Odyssea operam Geppertus confecisset et iam lectores in illius libro tamquam omnibus numeris absoluto subsistere deberent. Etenim ipse quominus summam Geppertianae disputationis, qua propter diversam et perversam rerum divinarum humanarumque descriptionem secundam Odysseae partem, inde ab ο, 194 imitationi recentiorum poetarum deberi, neque ab ipso antiquo Homero compositam esse statuit, totam meam facerem et comprobarem, multa et paene omnia obstiterunt. Omnino autem deest etiamnum disquisitio de compositione huius partis e singulis carminibus ad Lachmanni modum accurate instituta, qualem Geppertus, qui nescio quibus acutulis caussis inductus ex eiusmodi disquisitionibus nihil profici posse sibi persuaserat, ex industria omisit.

At parum recte opinor. Nam illam sententiam, quam post Wolfium multi critici probaverunt, Odysseam longe admirabiliorem esse in virtutibus compositionis et numeris huius artis omnibus absolutiorem, ita ut difficilius sit, Odysseae compagem in singula carmina seorsim olim existentia

dissolvere, quam Iliadis: illam inquam sententiam, ubi primum accuratiorem Odysseae lectionem instituere coepi, in priores tantum eius rhapsodias, mox autem ne in has quidem omni ex parte cadere mihi persuasi. Certe posteriores tot discrepantiis et tanta nonnunquam rerum perversitate laborant, ut non modo partes seu carmina agnoscantur e quibus coaluerint, sed etiam si haec in singula usque persequimur, promta sit suspicio, minore artis ingenio eum praeditum fuisse, qui haec carmina in corpus collegerit, quam qui prioribus libris tam venustum et perfectum opus nobis exhibuerit, sive Homerum, sive quem alium hanc Odysseae partem condidisse statuimus.

Iam vero nolo hanc totam quaestionem absolvere. Tamen ea proferam, quibus in rhapsodiis *ο, π, ρ, σ, τ* narrationis continuitatem ita turbatam esse censeo, ut non de uno sed de diversis carminibus cogitandum sit. Quae spero neque iis ingrata fore qui mecum faciunt a partibus Lachmanni: neque iis, qui in Nitzschii castra abeuntes, modo interpolationes statuere malunt et plurimas discrepantias interpretationis artificiis solvendas esse existimant: nam habebunt certe, quibus acumen exercere possint.

CAPUT PRIMUM.

DE RHAPSODIA DECIMA QUINTA.

In rhapsodia decima quinta, quae narrationem decimae tertiae continuat, Minerva Spartam proficiscitur, ut moranti Telemacho patriae reditusque memoriam in mentem revocet. Itaque Telemachus, ubi Menelai domum salvere iussit, Sparta Pylum revertitur. Ipsam vero urbem, veritus ne iterum Nestoris hospitio retineretur, cum intrare nollet, Pisistrato dimisso, socios alta petere iussit. Interea Theoclymenus fugitivus excipitur. Noctu Telemachi navis secundo ventu insulas praevehitur, ipse vero, cui insidias paratas esse a procis Minerva dixerat, pavido animo finem itineris extimuit,

ὁρμαίνων ἤ κεν θάνατον φύγοι ἤ κεν ἁλώῃ.

Subito autem in tanto rerum discrimine, quod ipsi lectores cum Telemacho extimescunt, narrationis filo abrupto, in novam fabulam a poeta inducimur, qui nos in Eumaei aedes transfert ad Ulixem cum subulco et vernis super coena confabulantem. Ibi Ulixes, ut Eumaei benivolentiam callide tentaret, cras se in urbem discessurum esse simulat: nolle se hospiti benigno longiores exhibere molestias, praesertim cum mendicando per urbem victum sibi quaerere possit, et quia domestici officii peritissi-

mus sit, a procis se statim famulorum in numerum receptum iri. At Ulixi obloquitur bonus Eumaeus, negans molestias ullas sibi parari, eumque Telemachi saltem adventum, qui ipsi melius deinde prospicere possit, in sua domo iubet exspectare. Precibus cedit Ulixes, mansurum se esse promittit et Eumaeum de parentibus suis deque priore ipsius fortuna sciscitatur. Eumaei narratione ad finem perducta, ambo cubitum discedunt et per breve tempus, nam parum a primo diluculo abfuit, quieti se dedunt. V. 495 ad Telemachum redit narratio.

Hanc autem de Ulixe et Eumaeo digressionem parum aptam esse censeo et alienam ab eo carmine quod *Τηλεμάχου πρὸς Εὔμαιον ἄφιξιν* continet: primum enim initio huius libri parum apte annexa est, immo narrationis ordinem in ipso catastrophae momento ineptissime turbat: deinde nullo modo cum fine libri cohaeret. Ipsa per se spectata non solum multis laborat ineptiis et perverso narrationis genere, sed etiam prioribus rhapsodiis plus semel manifesto repugnat.

Primum enim mirari subit, cur Ulixes de parentum fortuna, quam apud inferos iam ab ipsa matre audiverat, iterum Eumaeum sciscitetur. De qua cum Eumaeus breviter tantum neque uberius exponat, hoc eo demum consilio a poeta institutum esse suspicamur, ut ipsa de Eumaeo narratio cum antecedentibus aliqua ratione coniuncta videatur. Deinde offendit nos v. 362, in quo Ctimene, Ulixis soror et minima quidem natu (*τὴν ὁπλοτάτην τέκε παίδων*, scholl.: *τὴν νεοτάτην*) commemoratur, quamquam per totam Odysseam nunquam Ulixi sororem fuisse audimus, immo e *π*, 118:

ὧδε γὰρ ἡμετέρην γενεὴν μούνωσε Κρονίων·
μοῦνον Λαέρτην Ἀρκείσιος υἱὸν ἔτικτεν
μοῦνον δ' αὖτ' Ὀδυσῆα πατὴρ τέκεν· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
μοῦνον ἔμ' ἐν μεγάροισι τεκὼν λίπεν.

in Ulixis familia unicum semper filium a quoque patre e Iovis consilio genitum esse discimus. At quis non v. 380 sqq. miretur, ubi Ulixes repente clamat:

ὢ πόποι, ὡς ἄρα τυτθὸς ἐὼν, Εὔμαιε συβῶτα,
πολλὸν ἀπεπλάγχθης σῆς πατρίδος ἠδὲ τοκήων

quae, quia nunc quidem ipse Eumaeus eorum ne minimam quidem mentionem fecerat, antea autem, ξ, 139 – 141, tam ambigue pronuntiata erant, nulla ratione scire potuit Ulixes.

His autem versibus iam transit poeta ad Eumaei vitam, inde a v. 389 summa quidem et rerum et verborum ubertate narratam, ita tamen ut de nonnullis et gravioribus quidem rebus in incerto relinquamur, alia aut falso aut contra veri similitudinem nobis tradantur. Huc pertinent omnia, quae de prima sua infantia Eumaeus tam prolixe exponit, quae iam veteres

grammaticos miratos esse e scholiorum interpretatione apparet ad v. 417: ταῦτα δὲ οἱ Φοίνικες ἴσως Λαέρτῃ διηγήσαντο πολλοῦ ἄξιον αὐτὸν ὑποφαίνοντες. Λαέρτης δὲ Εὐμαίῳ διηγήσατο, οὐ γὰρ οἷόν τε εἰδέναι τὸ ἀληθὲς νήπιον ἡρπαγμένον, et v. 484: εἰκὸς αὐτὸν ἀκηκοέναι παρὰ τοῦ Λαέρτου, ᾧ διηγήσαντο οἱ Φοίνικες. Porro quaerit Phoenix v. 423 ex ancilla, quam consulto corruperat τίς εἴη καὶ πόθεν ἔλθοι, quamquam bene scire debebat eam e regiis aedibus venisse. Ipsa ancilla primum cum uno Phoenice videtur colloqui, id quod statuamus necesse est propter v. 420 sqq., nihilo minus v. 435 omnes alloquitur nautas. Sidon urbs πολύχαλκος vocatur contra veritatem, quam offensionem scholiorum interpretatio: πολυχάλκου] ἤτοι στερρᾶς. ἐν αὐτῇ γὰρ χαλκὸς οὐ γίνεται, ἢ πλουσίας, ὡς τῆς πορφύρας ἐν αὐτῇ γινομένης, non tollit.

Sed conferamus quaeso hanc digressionem cum libro decimo quarto. Ibi post coenam Eumaeus cum Ulixe, turbida quidem nocte et valde pluviosa, se quieti tradiderat. Iam in libro decimo quinto iterum post coenam Eumaeus sermocinatur cum Ulixe, sed postero die, etsi tantum abest ut hoc apertis verbis significetur, non enim legimus qua ratione Ulixes cum Eumaeo totum diem peregerit, ut a lectoribus divinandum sit. Iam vero quaeritur num tota digressio quae inter v. 300 et 495 propter caussas modo expositas molesta est, sine ullo insequentium carminum incommodo loco moveri et velut mera interpolatio a carminum compage dissolvi possit. Et proprie quidem nulla eius in postrema Odysseae parte ratio unquam habetur, quapropter prorsus eam eiciendam esse censerem, nisi obstaret ρ, 515. Ibi enim Eumaeus refert Penelopae, se hospitem per triduum et trinoctium domi retinuisse. Et prima quidem nox, quam Ulixes apud Eumaeum peragit, extremo libro decimo quarto continetur. Contra Telemachus, qui biduum et binoctium in itinere consummavit, tertio die et nocte apud Eumaeum commoratur, cuius descriptionem in libro decimo sexto invenimus, Ulixis secundo et ultimo tamen. Haec igitur dierum computatio illi contraria est, quam auctor rhapsodiae ρ secutus esse videtur: quam ob caussam totam libri decimi quinti digressionem in qua Ulixis dies secundus describitur, interpositam esse censeo, eo praeterea nixus, quod certissimum fere interpolationis vel subditivi carminis indicium, versuum paria dico in utriusque carminis initio repetita, ο, 301 et π, 1 inveniuntur,

τὼ δ᾽ αὖτ᾽ ἐν κλισίῃ Ὀδυσεὺς καὶ δῖος ὑφορβός.

Videtur autem ab initio cum libro decimo quarto coniuncta fuisse, ita ut post ξ, 454 sequeretur ο, 304 (ξ, 459), nam quae in fine illius libri leguntur multas et iustas movent dubitationes, quas accuratius persequerer, nisi longius ab hoc loco abesset.

Neglecta igitur hac digressione, versus sequentes, mutato *γάρ* in *δ' ἄρ* versui trecentesimo subiungi possunt hunc in modum:

ἔνϑεν δ' αὖ νήσοισιν ἐπιπροέηκε ϑοῇσιν,
300. *ὁρμαίνων, ἤ κεν ϑάνατον φύγοι ἦ κεν ἁλώῃ.*
495. *αἶψα δ' ἄρ ἠὼς ἦλϑεν ἐΰϑρονος. οἱ δ' ἐπὶ χέρσου*
Τηλεμάχου ἕταροι λύον ἱστία, κτλ.

Tum vero post v. 300 accuratior paullulum descriptio desideratur, qua ratione Telemachus deorum auxilio inimicorum insidias vitaverit: eadem sane iam nunc desideratur post v. 495, sed minus aegre opinor, quia interposita digressio animum nostrum in alias res advertere coepit. Censeo autem desideratam narrationem aut facta interpolatione excidisse, aut omnino defuisse, ita ut mancum et minus exactum carmen haberemus, qualia multa huic posteriori Odysseae parti inesse ostendam.

Iam vero coniunctis vv. 300 et 495, per totam rhapsodiam idem argumentum paene eodem narrationis colore tractatur. Nam ne priores quidem huius libri versus 1—300 accuratiore expositionis ordine procedunt quam posteriores quibus multa insunt ambigue dicta et inconcinne. Primum huc pertinent vv. 43—55, quos interpolatos esse probabilibus de caussis nuper Meisterus statuit in Philol. VIII, 10: cui tamen assentiri non possum propter v. 57:

ἀγχίμολον δέ σφ' ἦλϑε βοὴν ἀγαϑὸς Μενέλαος,

in quo sublatis illis versibus intellegi non potest, utrum pronomine significentur Telemachus cum Minerva, quam abiisse poeta non dixit, an e v. 4 tam longe remoto Telemachus cum Pisistrato. Dein, ubi poeta iter Telemachi Sparta Pylum factum narravit, eumque v. 193 ante Pylum advenisse dixit, v. 195 Telemachus subito Pisistratum interrogat:

Νεστορίδη, πῶς κέν μοι ὑποσχόμενος τελέσειας
μῦϑον ἐμόν;

quae sine dubio vertenda sunt, 'num promissis tuis stare vis', cf. v. 203, non vero, 'promittisne te verbis meis obsecuturum esse': at nihil Pisistratus Telemacho promiserat. Haeremus etiam in v. 206, ubi de Pisistrato sermo est:

νηὶ δ' ἐνὶ πρύμνῃ ἐξαίνυτο κάλλιμα δῶρα,
ἐσϑῆτα χρυσόν τε, τά οἱ Μενέλαος ἔδωκεν.

Scholia habent: *στὰς ἐπὶ τῆς πρύμνης ἐδέχετο δῶρα. τὸ δὲ, ἐξαίνυτο σημαίνει τὸ ἐξῃρεῖτο.* Prior interpretatio falsa est: *ἐξαίνυτο* non est *ἐδέχετο.* Qui autem in navi stat, non potest dona e curru depromere. Praeterea vero Telemachus a Menelao amictum et aurum non acceperat, sed poculum argenteum in summa demum parte auratum, a Megapenthe

cratera argenteum, ab Helena denique amictum. Aut igitur v. 207 versui 115 prorsus repugnat, aut narratio vituperanda est parum accurata ideoque parum Homerica, quia Homerum vel in minutiis describendis summa diligentia versatum esse scimus. Deinde notandum est σπουδῇ v. 209, cf. Lehrs. Arist. p. 122, ὑπέρβιος v. 212, nam quomodo Pisistratus patris animum ὑπέρβιον vocare potest? Mirum est sacrificium Minervae parari a Telemacho tam anxie festinante, non libationem. Ea vero quae post v. 225 sequitur narratio de Melampode adeo confusa est et inconcinna, ut sine docto mythographorum apparatu intellegi non possit. Offendit nos v. 268, in quo Telemachus dicit 'Ulixes pater meus est, siquidem erat unquam', quod vix comparari potest cum Nestoris illo dicto in Il. *Λ*, 762: ὥς ἔον, εἴ ποτ' ἔον γε, μετ' ἀνδράσιν. Neque magis intellego v. 280:

οὐ μὲν δή σ' ἐθέλοντά γ' ἀπώσω νηὸς ἐίσης.

Ignoro de quibus tandem insulis sermo sit in v. 298, nisi quis Samum et circumiacentes intellegi coniciat e v. 29, quem nemo hucusque memoria servare potest.

Plura vero et maiora quibus offendamur extremae carminis parti insunt, inde a v. 496. Primum enim Telemachi verba, v. 503 ad socios facta, parum cum iis conveniunt, quae Minerva v. 86 ipsum facere iusserat. Nam debebat Telemachus noctem apud Eumaeum peragere et postero demum die Penelopen adventus sui certiorem facere. Cur autem hic vespertino tempore contra deae praeceptum se in urbem conferre constituit, ut sociis coena parari possit? Et tamen postea mutati consilii prorsus immemor est. Iubet autem in v. 520 hospitem Eurymachum adire, πολλὸν ἄριστον ἄνδρα, quamquam nemo ipsi magis infensus erat, eundemque v. 539 Piraei hospitio commendat, donec ipse ab Eumaeo rediret. Quam vero ob caussam consilium tam repente mutavit? Porro mihi absonum videtur, quod Telemachus in v. 547 iterum navem conscendit, miror saltem, quidni ubi primum descendit, omnia pararit itineri. Ceterum Telemachus nunquam in Graecia, quamquam saepius eius arma et amictus accurate describuntur, hastatus procedit. Displicent denique, quae poeta v. 557 de Eumaeo dicit, ἀνάκτεσιν ἤπια εἰδώς. Qui enim sunt ἄνακτες? Praeter Ulixen et Telemachum certe etiam proci. Eorum vero acerrimum inimicum Eumaeus se semper exhibuerat.

Sed ut disputationis summam paucis comprehendam, rhapsodia *ο* e duabus partibus mihi constare videtur. Altera continet carmen de Telemachi reditu in Ithacam, quo narratio libri decimi tertii continuatur. Altera colloquium inter Ulixen et Eumaeum, e rhapsodia *ξ* huc translatum ab eo, qui e singulis carminibus epopoeiam composuit. Ipsa vero de Telemacho narratio, quae cum alias, tum in fine plus uno mendo laborat, num propter minores quasdam repugnantias iterum in duas partes diri-

menda sit a diversis auctoribus profectas, ad liquidum perducere non possum. Sed probabile non videtur.

CAPUT SECUNDUM.

DE RHAPSODIA DECIMA SEXTA.

In libro decimo sexto redit narratio ad finem libri decimi quarti. Nam Telemachus supervenit Ulixi et Eumaeo super prandio sedentibus. Accepta redditaque salute, hospes ab Eumaeo Telemacho commendatur. Is autem Ulixi quem in sua domo, veritus ut a procorum insolentia satis tutus sit, excipere nolebat, promittit ampla dona, seque hospitem quocunque velit delegaturum esse pollicetur. Non haereo in nimia Telemachi liberalitate erga ignotum mendicum, sed miror quod eius discessum commemorat, nescius tamen, velletne Ithacae hospes remanere necne: miror etiam quod navem peregrino promittit is, qui sibi ipse in secundo libro sine Minervae auxilio nullam navem parare poterat, atque sine navi nemo potuit Ithaca delegari: easque ob caussas, v. 81:

πέμψω δ' ὅπῃ μιν κραδίη θυμός τε κελεύει

mihi videtur eiciendus esse. Contra sequentem vero narrationem non habeo quae proferam. Ubi in procos sermo incidit, Ulixes Nestoris verbis e *γ*, 212—215 repetitis, quaerit e Telemacho, utrum forte propter infensum populi odium, an domesticam cum fratribus discordiam, procorum insolentiam ferre coactus sit. Respondet Telemachus:

οὔτε τί μοι πᾶς δῆμος ἀπεχθόμενος χαλεπαίνει,
οὔτε κασιγνήτοις ἐπιμέμφομαι, οἷσίπερ ἀνὴρ
μαρναμένοισι πέποιθε καὶ εἰ μέγα νεῖκος ὄρηται.

et iisdem versibus quos *α*, 245—251 Mentae dixerat, de ingente procorum numero et insolentia queritur. Deinde Eumaeum matrem de prospero suo reditu iubet certiorem facere, ita tamen ut reliquis Achaeis nuntium dissimulet. Quaerenti vero, nonne misero quoque Laerti laetum nuntium afferre debeat, obloquitur:

ἄλγιον, ἀλλ' ἔμπης μιν ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.
εἰ γάρ πως εἴη αὐτάγρετα πάντα βροτοῖσιν,
πρῶτόν κεν τοῦ πατρὸς ἑλοίμεθα νόστιμον ἦμαρ.

Primus versus bene se habet, sed quid sequentes duo sibi velint, non assequor, mihique valde suspecti sunt.

Eumaeus ubi viam ingressus est, incipit *ἀναγνωρισμὸς Ὀδυσσέως ὑπὸ Τηλεμάχου.* Itaque Ulixes, domo evocatus a Minerva in pristinam

formam restituitur. Quo loco notanda est discrepantia quaedam cum v. 431. Nam in v. 175 iterum *μελαγχροιής* fit, dum priore in loco flavum eius capillum Minerva immutaverat. Neque caerulea Ulixis barba (*κυάνεαι γενειάδες* v. 176) alias commemoratur. Sed Ulixes, ubi Telemacho sibi cum ipso patre rem esse persuasit, breviter fata sua enarrat et procorum caedem cum filio paraturus, de numero eorum sciscitatur. Centum octo cum decem sociis recenset Telemachus: sane numerum haud parvum: quapropter Ithacensibus in *β*, 240 opprobrio verti a Mentore, quod paucorum procorum insolentiam non infringerent,

ἀτὰρ οὔ τι καθαπτόμενοι ἐπέεσσιν
παύρους μνηστῆρας καταπαύετε πολλοὶ ἐόντες

vehementer miror. Omnino vero pauca tantum procorum nomina in duodecim primis Odysseae libris commemorantur, Antinoi, Eurymachi, Eurynomi, Liocriti, quorum victui singuli apri quotidie ab Eumaeo in regiam mittuntur (*ξ*, 108). Sane in *υ*, 163 ipse cum tribus advenit, et omnino in postremis Odysseae libris multa procorum nomina inveniuntur nova et inaudita, Amphinomi, Eurymedontis, Pisandri, Ctesippi, Agelai, quibus in rhapsodia *χ* accedunt Amphimedo, Demoptolemus, Polybus, Euryades, Elatus. Sed quatuordecim tantum nominantur, qui cum Medonte praecone, Phemio, Melanthio, Mulio et aliis quibusdam famulis ac sociis, optime cum viginti anseribus conveniunt quos Penelope ab aquila dilaniari vidit in somnio. Numquam vero is procorum numerus exhibetur, quem hoc in loco Telemachus recenset. Hanc quoque caussam fuisse censeo cur Nitzschius vv. 245—255 pro interpolatis haberet et eiciendis, cf. Encyclop. Halens. s. v. Odyssea, sed cum v. 235 Ulixes e Telemacho distinctis verbis numerum procorum quaesiverit, hoc fieri non potest.

Sperat autem Ulixes fore ut adiuvantibus Minerva et Iove proci omnes ab ipso superentur. Eorum caede constituta Telemachum cum primo diluculo ad procos redire iubet, quo ipse quoque mendici forma denuo assumta, cum Eumaeo se conferre constituit. *Εἰ δέ μ' ἀτιμήσουσιν*, inquit,

δόμον κάτα, σὸν δὲ φίλον κῆρ
τετλάτω ἐν στήθεσσι κακῶς πάσχοντος ἐμεῖο,
ἤν περ καὶ διὰ δῶμα ποδῶν ἕλκωσι θύραζε
ἢ βέλεσιν βάλλωσι· σὺ δ' εἰσορόων ἀνέχεσθαι.
ἀλλ' ἤτοι παύεσθαι ἀνωγέμεν ἀφροσυνάων,
μειλιχίοις ἐπέεσσι παραυδῶν·

cui patris praecepto Telemachus in sequentibus libris parum obsequitur. Versus octodecim post 280 iam Zenodotus obelo expunxit. Iubetur enim Telemachus, ut primum Minerva opportunum caedis momentum innuerit, arma e conclavi aufferre. At Ulixes qui palatium nondum intraverat, scire non potuit arma in conclavi esse suspensa. Accedit quod iidem versus,

paullulum tantum mutati, in initio libri decimi noni redeunt. Sane vero si hoc in loco tolluntur hi versus, nemo intellegit, quibus tandem verbis consilium de procorum caede contineatur, de quo pater cum filio v. 234 consulere voluit. Itaque statuendum mihi videtur facta interpolatione genuinos quosdam versus excidisse.

Iam in v. 321 colloquium inter patrem et filium ad finem pervenit et narratio ad Ithacenses Telemachi socios redit, qui in urbem devecti pulcra dona in Clytii domum deferunt et per praeconem de reditu filii Penelopen certiorem faciunt. Sed Telemachus socios tantum in urbem devehi iusserat. Reliqua ultro faciunt, neque intellego quidni dona statim ipsi Penelopae tradiderint. Eamne reditum filii celare voluerunt? At mittunt praeconem, et tamen nemo magis Telemacho adversari potuit, quam qui nuntium misit, quem non vetuerat ante, quae una Penelope scire debebat, omnibus divulgare. Itaque vel hoc gravissimam interpolationis suspicionem movet, quod auctor horum versuum quisquis fuit, rem tam nude exposuit, nec de caussis quidquam protulit, cur tam infaustum consilium Ithacenses inierint. Ac praeco, quomodo officio fungitur? Clamat coram omnibus ancillis:

ἤδη τοι βασίλεια, φίλος πάις εἰλήλουθεν.

Itaque ancillis, quarum plurimae procis favebant, interfuit Penelope, de qua Telemachus paullo antea dixerat:

οὐ μὲν γάρ τι θαμὰ μνηστῆρσ' ἐνὶ οἴκῳ
φαίνεται, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ὑπερωίῳ ἱστὸν ὑφαίνει.

At nondum praeco verba sua protulerat, cum Eumaeus iam adest et reginae omnia enuntiat quae filius ipsum nuntiare iusserat, fere nihil aliud igitur quam quae a praecone modo audiverat. Ecquis autem non de Penelope miretur, quae alto silentio utrumque nuntium excipit? Non de praecone, qui unico versu mandata exequitur? Non de Eumaeo denique, quod non acerrimis statim verbis stolidum praeconem obiurgat, qui invito certe Telemacho, totam rem ita divulgavit, una excepta Penelope omnibus dissimulandam? Nonne mirari saltem debebat, iam alium adesse nuntium, ab alio missum quam a Telemacho? Sed bonus Eumaeus

ἐπεὶ δὴ πᾶσαν ἐφημοσύνην ἀπέειπεν,
βῆ ῥ' ἴμεναι μεθ' ὕας, λίπε δ' ἕρκεά τε μέγαρόν τε,

praeco tacite omittitur. Longum est diutius in perversitate et ineptiis huius narrationis inde a v. 337 laborare. Quo in loco mihi quidem certum videtur, auctorem libri decimi sexti, eum dico qui singula carmina in unum redegit, sive Homerum, sive unum e Pisistrati sociis, duo carmina invenisse sibi invicem contraria, e quorum altero Telemachus per Eumaeum matrem reditus sui certiorem fecit, altero vero Ithacenses per praeconem, ignorante fortasse Telemacho. Utrumque stare non potuit,

itaque reiecto altero, alterum stricte erat retinendum. Sed uti nunc res sese habet, miserrima ratione consarta et confusa sunt a poeta, discrepantiis non sublatis. Eiectis igitur his versibus, coniungi possunt vv. 321 et 338 sqq. hunc in modum:

321. Ὣς οἱ μὲν τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον.
338. Πηνελοπείῃ δ' εἶπε συβώτης ἄγχι παραστάς
πάνθ' ὅσα οἱ φίλος υἱὸς ἀνώγει μυθήσασθαι.
αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ πᾶσαν ἐφημοσύνην ἀπέειπεν,
βῆ ῥ' ἴμεναι μεθ' ὕας, λίπε δ' ἕρκεά τε μέγαρόν τε.

Tum in reliqua libri parte tres continentur narratiunculae, inter se parum cohaerentes, et ultima post v. 451 excepta ab ipso Odysseae argumento admodum alienae. Quarum prima, v. 342—409, circa procos versatur. Hi fortasse ab ancilla quadam, ita enim statuendum est quia in eodem conclavi cum Penelope et ancillis non possunt esse commorati, aperta vero poeta non tradidit, reducem esse Telemachum ex itinere audiverant. Itaque irati egrediuntur e palatio, concionantur ante portas et per secundam navem amicos e latebris revocare constituunt. Amphinomus vero, cum navem eorum iam ex alto in portum descendisse animadvertisset, omnes eodem se conferunt. Obviam factis narrat Antinous princeps expeditionis, quamvis summa diligentia et paene insomnes animum attendissent, cum deorum tamen auxilio paratum exitium effugisse Telemachum. Hunc igitur aut interficiendum, aut infecta re in suam cuique proco redeundum esse patriam. Sed Amphinomo religiosum videtur, regium sanguinem ultro offundere. Itaque obloquitur Antinoo, et primum deorum voluntatem consulendam esse censet: annuentibus enim diis primum fore se ipsum, qui Telemacho manus impositurus sit. Sane ridiculum est tam impium tamque absurdum Amphinomi propositum. Nam re vera credidit caedis consilium in sancta stirpe *διογενέος βασιλῆος* probatum iri ab ipsis diis, qui aperto auxilio Telemacho semper subvenerant? Sed bene convenit tale consilium cum impietate procorum et superbia. Praeterea vero notandum est, Amphinomi quidem consilium omnibus placere, nunquam tamen de caede consuli deos. Etenim narratione subito interrupta, proci in palatium redeunt, in quo per sequentes quoque rhapsodias commorantur, totius consilii et caedis ipsius immemores ut videtur, quae in vigesimo demum libro denuo apparet et quasi emergit. Sed hoc nihil aliud probat, quam sequentes libros ab hoc loco discrepare, alias vero et certas quidem caussas afferre non possum cur hos versus a prima huius libri parte disiungendos esse censeam.

Sequitur secunda narratio, vv. 409—451, multo magis suspecta, in qua de Penelope agitur, quae ubi exitium filio imminens per Medontem comperit, statim procorum in medium se confert et Antinoum propter in-

gratum animum erga domum Ulixis, cui maximas gratias debebat, et crudelissima sua in Telemachum consilia incusat. Reginam consolatur Eurymachus, eamque bono animo iubet esse, nam se ipsum ab omnibus iniuriis semper Telemachum esse defensurum. Quibus auditis, Penelope

εἰσαναβᾶσ' ὑπερώια σιγαλόεντα
κλαῖεν ἔπειτ' Ὀδυσῆα, φίλον πόσιν, ὄφρα οἱ ὕπνον
ἡδὺν ἐπὶ βλεφάροισι βάλε γλαυκῶπις Ἀθήνη.

At multa contra hanc narrationem proferri et possunt et debent. Adhuc enim proci de caede Telemachi nihil certi constituerant. Sane Antinous eam iterum proposuerat, sed reliqui omnes in Amphinomi sententiam abierant, qui primum deos consulendos esse censuerat, itaque caedis consilium differendum esse dixerat. Et quamquam poeta non dixit Medontem de toto procorum consilio rettulisse Penelopae, nam ne hoc quidem comperimus, qua tandem ratione homo secretae concioni interesse potuerit: tamen si Penelope Antinoum propter scelesta consilia incusavit, consentaneum erat Amphinomum consolari et leni oratione permulcere Penelopen, quia iam in concione contra Antinoum verba fecerat, non vero Eurymachum. Sed etiam in ipsa reginae oratione insunt haud pauca quae dubitationem moveant. Quam enim ob caussam ne verbo quidem illud commemorat quod ab Eumaeo audiverat, audivisse saltem debebat, perniciosa procorum consilia deos iam semel ad irritum vocasse? Nam si hoc sciebat, et praeterea de Amphinomi verbis, vel minimum quidem a Medonte acceperat, secura manere potuit sine omni timore, quia apertum erat, tam scelesta consilia nunquam probaturos esse deos. Accedit quod tota narratio supervacanea est, et cum ad huius tum ad reliquorum librorum contextum tam non pertinet, ut sine ullo detrimento, salva totius narrationis integritate loco moveri possit. Fortasse olim illius carminis partem formavit, quod in libro quarto post v. 675 legitur. Nam ibi de Telemachi caede auctore Antimacho inter omnes procos convenerat. Nec intercesserat Amphinomus. Totum vero procorum sermonem Medo extra aulam positus exceperat, Penelopae rettulerat, quae statim cum amicis adversam suam fortunam alta voce deploravit et summo dolore percussa. Illo in loco vel gravissime procos incusare potuit, et in illum tantum locum egregie convenit haec digressio.

Versu 451. proprie quidem narratio redit ad v. 341, sed potest etiam subiungi v. 408:

αὐτίκ' ἔπειτ' ἀνστάντες ἔβαν δόμον εἰς Ὀδυσῆος
408. ἐλθόντες δὲ καθῖζον ἐπὶ ξεστοῖσι θρόνοισιν.
452. Ἑσπέριος δ' Ὀδυσῆι καὶ υἱέι δῖος ὑφορβός
ἤλυθεν·

Eumaeus, ubi vespera domum revenit, Ulixi et Telemacho omnia narrat,

quae in palatio et itinere ipsi contigerant. Narrat igitur, se nuntium rettulisse Penelopae, quo in loco vv. 468. 469. interpolati sunt ab redactore propter v. 321 sqq., et in reditu navem se vidisse portum intrantem, eam sine dubio, qua proci infecta re ex insidiis reversi essent. Quibus auditis, laeto animo coenam parant, eaque sumta cubitum omnes discedunt.

Hac autem ratione spuriis et ineptis versibus reiectis, rhapsodia π unum carmen continet, *ἀναγνωρισμὸν Ὀδυσσέως ὑπὸ Τηλεμάχου,* coniunctum cum Eumaei itinere in urbem et reditu, continua oratione sibi ipsi nullo modo contraria satis bene expositum. Iam vero si vv. 322 sqq. in interpolatis referuntur, certis quidem argumentis e discrepantiis petitis, adversariis probari non potest seorsim olim extitisse hoc carmen, nec cum *Τηλεμάχου πρὸς Εὔμαιον ἀφίξει* coniunctum fuisse. Sed notanda est magna et dictionis et narrationis inter utrumque carmen differentia. Nam vel remotis interpolationibus, multis tamen ineptiis et magna verborum et rerum inconcinnitate illa rhapsodia laborat, quibus omnibus vacat haec decima sexta.

CAPUT TERTIUM.

DE RHAPSODIA DECIMA SEPTIMA.

Antequam meam sententiam de compositione huius rhapsodiae proponam, monitos velim lectores de egregio quodam libello scholastico Dresdensi, in quo Rhodius a. 1846 eandem prope materiam acute tractavit. Unde quidquid bene et probabiliter disputatum videbatur retinui et coniunxi cum novis aliorum virorum meique ipsius quibusdam observationibus. Sed quid unicuique nostrum debeatur, ipsi diiudicent lectores et videant.

Continet autem hic liber inde a primo versu usque ad v. 182 narrationem de reditu Telemachi in urbem, cui duae insunt particulae haud parum molestae, sine dubio interpolatae. Etenim primum haereo in iis quae v. 45 sequuntur. Ibi Telemachum, ubi primum domum mane ingressus est, nutrix et mater effusae lacrimis amplexae erant. Nempe mater summo timore perculsa paene desperaverat prosperum filii reditum e tam periculoso itinere, nefariis procorum consiliis impedito. Itaque nemo miratur in matre, quod dulcissimis verbis fortunam filii statim anquirit eumque de laeto consiliorum eventu percunctatur.*) At Telemachus

*) Sic responsum fuerit Bernardo Thierschio, qui in disputatione de hoc loco inter alia haec dixit. p. 92: 'auch der anfang der rhapsodie v. 1—96 hatte manches auffallende

tanto amore ab infelice matre exceptus, num talem se exhibet, qualem e rhaps. β cognovimus, egregium pietatis exemplar, cum aspere et inclementer paene respondeat:

μῆτερ ἐμή, μή μοι γόον ὄρνυθι, μηδέ μοι ἦτορ
ἐν στήθεσσιν ὄρινε φυγόντι περ αἰπὺν ὄλεθρον·
ἀλλ' ὑδρηναμένη, καθαρὰ χροὶ εἵμαθ' ἑλοῦσα
εἰς ὑπερῷ' ἀναβᾶσα σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξίν,
εὔχεο πᾶσι θεοῖσι τεληέσσας ἑκατόμβας
ῥέξειν αἴ κέ ποθι Ζεὺς ἄντιτα ἔργα τελέσσῃ.

Quis autem ex tam abruptis verbis intellegere potest, quaenam et cuinam Iuppiter rependere debeat? In sequentibus versibus Telemachus se in forum conferre vult ut Theoclymenum hospitem a Piraeo excipiat. Domo autem egreditur iisdem versibus, quibus auctor rhaps. β Telemachum non in forum sed in concionem egredientem facit. Verum Ithacenses cur primo diliculo in concionem convenerunt a nemine indictam? Nulla omnino post Ulyxis discessum apud eos habita est concio. Itaque Telemachum in priore illo loco, cum concionem convocasset, de novis consiliis et voluntate sua mirabundi omnes sciscitantur. Iam vero hoc in loco omnia aliter se habent. Nam Ithacenses a nullo praecone convocati sua sponte prima luce una cum procis in forum convenerunt, et nemo est qui Telemachum de caussis repentinae concionis percunctetur, id quod e tam suspensis verbis v. 70: τοὶ δ' ἐξερέεινον ἕκαστα, me quidem iudice colligi non potest. Neque in ea acquiescam excusatione, quam Eustathius paravit poetae: ὅτι καὶ ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ δυνάμενος ὁ ποιητὴς πολυλογῆσαι παραιτεῖται αὐτὸ διὰ τὸ μὴ καίριον. ὡς μὲν γὰρ οἱ φίλοι ἐξερέεινον ἕκαστα λέγει. τί δὲ πρὸς αὐτοὺς ὁ Τηλέμαχος ἔφη, οὐ λέγει. Sed transeam ad reliqua. Atque Telemachus post parvam moram, cum hospite quem Piraeus interea in concionem adduxerat, domum revertitur. Quo in loco discrepantia quaedam notanda est inter v. 74 sqq. et π, 327. Nam Piraeus est filius Clytii ad quem dona Ithacenses detulerant. Itaque quid fuit caussae, cur dona contra Telemachi iussum in patris domum deferrentur? Displicent ea quoque, quibus post versum 78. Piraeum alloquitur Telemachus. Cur enim talia cogitata eius animo non tum obversata sunt, cum ipse dona acciperet? Proci autem, haud longe distantes, nonne haec omnia audire debebant? Sed haec urgere nolo. Telemachus deinde cum hospite in balneum descendit. Lautis ab Euryclea, quamquam prandendi hora nondum aderat, cf. v. 175 sq., prandium apponitur. Prandentibus autem supervenit Penelope, quae prope postem

---

und vielleicht laesst sich auch dieser theil als unaecht erweisen. Die worte der Penelope v. 41—45 sind auf jeden fall nicht aus der homerischen zeit.'

in sella tacita consedit et stamina ducit. Sumto demum prandio loqui incipit:

Τηλέμαχ᾽ ἤτοι ἐγὼν ὑπερώιον εἰσαναβᾶσα
λέξομαι εἰς εὐνήν, ἥ μοι στονόεσσα τέτυκται,
αἰεὶ δάκρυσ᾽ ἐμοῖσι πεφυρμένη, ἐξ οὗ Ὀδυσσεὺς
ᾤχεθ᾽ ἅμ᾽ Ἀτρείδῃσιν ἐς Ἴλιον· οὐδέ μοι ἔτλης,
πρὶν ἐλθεῖν μνηστῆρας ἀγήνορας ἐς τόδε δῶμα,
νόστον σοῦ πατρὸς σάφα εἰπέμεν, εἴ που ἄκουσας.

At nonne ridiculum est et ineptum quod Penelope prima luce minatur filio, se prae dolore redituram esse in lectum? Nonne hic etiam ineptiora proferuntur a matre, quam antea a filio, cuius sermonem post v. 46 notavimus? His autem omnibus accurate perpensis, vix erit dubium, opinor, quin tota particula, v. 46—106, argumento non contraria quidem, tamen perversa et inepta, loco movenda sit, ita ut v. 107 statim v. 45 excipiat, hunc in modum:

ἦλθες Τηλέμαχε, γλυκερὸν φάος. οὔ σ᾽ ἔτ᾽ ἔγωγε
ὄψεσθαι ἐφάμην, ἐπεὶ ᾤχεο νηὶ Πύλονδε
λάθρῃ ἐμεῦ ἀέκητι, φίλου μετὰ πατρὸς ἀκουήν.
ἀλλ᾽ ἄγε μοι κατάλεξον, ὅπως ἤντησας ὀπωπῆς.
Τὴν δ᾽ αὖ Τηλέμαχος πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα·
τοιγὰρ ἐγώ τοι μῆτερ ἀληθείην καταλέξω.

Nam quid melius facere potuit Telemachus, quam ut afflictam matrem narratione itineris statim consolaretur? Neque illud praetereundum est, quod idem versus,

τὴν δ᾽ αὖ Τηλέμαχος πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα

tam in capite quam in calce totius partis interpolatae invenitur. Etiam caussa apparet e sequentibus, cur huic loco hos versus inseruerit poeta. Nam in v. 151 Theoclymenus adest in palatio Ulyxis. Itaque praecedere debebat narratio de eius adventu cum Telemacho. Quae ne desideraretur ibi, hoc in loco spurios versus interposuit.

Deinde haeremus in v. 150. Sane sunt quaedam, quae contra Telemachi narrationem inde a v. 107, proferri possint, modo brevem et pressam, modo nimis verbosam et effusam, ubi fere tota ex iteratis versibus constat, omnino autem mancam et parum integram, ita ut iam veteribus grammaticis videatur molesta fuisse. Eos enim Eustathium respexisse censeo, bonum episcopum qui lepida fictione omnes molestias expedire consuevit, cum iuvenile Telemachi ingenium in rhetoricam propensum esse dicat, ita ut *ἀνθηρότερα* tantum *ἀνακεφαλαιώσει* suae selegisset. Quam caussam cum non possim quin derideam, tamen Telemachi narratio mihi non tanti facienda videtur, quam ea quibus ab aliis Odysseae partibus discrepat totum huius rhapsodiae initium. Primum enim v. 10 sqq. cum

π, 80 sqq. vix consociari possunt, quo in loco Telemachus vetuerat ne Ulixes urbem vel palatium potius propter nimiam procorum insolentiam intraret, postquam summa liberalitate ei splendida dona et certum in patriam reditum promisit. Iam vero hoc in libro, cum promissis stare debuisset, consilium suum prorsus immutasse videtur. Etenim de donis ne verbo quidem mentionem facit, suadet autem Ulixi ut in urbem se conferat et quoniam ipse eius saluti prospicere non possit, mendicando victum sibi quaerat. Atque hoc verum erat, nec si ab initio Telemachus haec mendico dixisset, sicut aliis alibi saepe similia dixit, quidquam esset quod nos offenderet. Nam recte Eustathius '*τοιαῦτα δέ*' inquit '*λέγοι ἂν ὁ ἀξιούμενος μὲν πολλὰ εὐεργετεῖν, μὴ δυνάμενος δὲ, εἰ καὶ γογγύζει ὁ ζητῶν*'. Et mutata Ulixis persona, Telemachi quoque consilia de eo mutanda fuisse, dixerit quispiam. At qua ratione altum Eumaei silentium et quasi consensus excusabitur, qui cum Telemachi promissis interfuisset et veram Ulixis personam adhuc ignoraret, idoneam consilii tam subito mutati caussam perspicere non potuit?

Sed post v. 150 haud parum offendimus in Theoclymeno. Atque veteres grammatici v. 150—165 reiecerunt, sermonem Theoclymeni cum responso Penelopae. Cf. schol. Harlei. in *ρ*, 147 cum Buttmanni expositione p. 479. Caussae condemnationis nullae proferuntur, nisi corruptum scholium ad v. 160 huc refertur: *ἐν τοῖς χαριεστέροις οὗτοι μόνοι οἱ ιβ΄ ἀθετοῦνται, ἐπεὶ καὶ πρὶν εἰςελθεῖν ἐν τῇ νηὶ τὸν οἰωνὸν εἶδε, καὶ τὸ ἐγεγώνευν οὐκ ἀκαίρως* (l. *ἀκαίρως* sine *οὐκ* Buttm.) *ἐστίν. ἐν δὲ τοῖς κοινοτέροις* (vel *εἰκαιοτέροις*) *ἀπὸ τοῦ, ὡς ἔφατο* (fortasse *ὣς φάτο*), *ἕως τοῦ ἐξ ἐμεῦ*, i. e. v. 150 — 165. Nempe Theoclymenus iam in ipsa nave se omen conspexisse contendit, quod in *ο*, 525 apparuit ubi de nave descenderat. Haec autem discrepantia proprie in vv. 160—161 tantummodo cadit, id quod Buttmannum induxit ut scholiorum numerum *ιβ΄* in *β΄* mutaret, facillima sane medela. At aliae sine dubio damnationis caussae fuerunt, quarum unam eamque haud levem Geppertus I. p. 353 in eo positam esse censuit, quod Theoclymenus illud omen Telemacho longe aliter interpretatus sit. Praeterea vero tota Theoclymeni narratio, iusiurandum per summos deos versibus ex *ξ*, 158 repetitis, sententia de reditu Ulixis eiusque in insula praesentia tam certe prolata a vate probato, nimia levitas qua Penelope tam certum nuntium excipit, haec omnia inquam non minorem interpolationis suspicionem movent, quam priores discrepantiae. Etiam Eustathius easdem puto reprehensiones vitare voluit. Nam adnotavit ad v. 152: *ὅτι πλάσας ὁ ποιητὴς τὸν Τηλέμαχον ἃ μὲν παρὰ Νέστορος καὶ Μενελάου ἤκουσεν εἰπόντα, σιγῶντα δὲ ἅπερ αὐτὸς οἶδεν ἀκούσας περὶ τοῦ νόστου, ποιεῖ τὸν Θεοκλύμενον εὐθὺς εἰπόντα οὕτως· ὦ γύναι κτλ.* et deinde ad v. 160: *οὐκ ἐστι δὲ πιστὸς*

αὐτὸς οὕτως εἰπὼν, ὡς ἐὰν ὁ Τηλέμαχος τοιοῦτόν τι ἐπήγγειλε (?). καὶ ἰδοῦ εὐμεθόδως ὁ ποιητὴς ἐδήλωσε μὲν τῇ γυναικὶ, ὡς ἐν Ἰθάκῃ ἐστὶν Ὀδυσσεὺς, οὐκ ἐπληροφόρησε δέ. Illud quoque molestissimum videtur, quod Telemachus ubi antea Penelopae iter enarravit, fere nihil de Theoclymeno ipsi prorsus adhuc ignoto matri exposuit. Quid enim scire potuit ex iis quae v. 53 Telemachus dixerat:

αὐτὰρ ἐγὼν ἀγορὴν ἐσελεύσομαι, ὄφρα καλέσσω
ξεῖνον, ὅ τίς μοι κεῖθεν ἅμ' ἕσπετο δεῦρο κιόντι.

Singularis omnino et permira Theoclymeni est condicio, vatis ab ipso Odysseae argumento alieni, qui partes transigit prorsus superfluas. Etenim primo statim versu, quo prodiit, turbida ista de genere suo expositio nos offendit: molestus est eo in loco, quo cum Telemacho Ithacam advenit: subditivi sunt versus, quibus hoc in libro commemoratur, maximam partem iam a veteribus expuncti. Etiam illum locum qui in rhaps. υ diram eius vaticinationem continet, aut interpolatum esse aut recentiore aevo ortum, facile demonstrari potest. Itaque incommodis semper digressionibus Theoclymenus in posteriore Odysseae parte discurrit et quasi perlabitur ut vix dici possit, quid tandem auctor hac persona sibi voluerit.

His autem versibus de quibus modo expositum est sublatis, ἐπάνοδος Τηλεμάχου, quae v. 166 clauditur, admodum bene et continua narratione procedit. Quid vero obstet, quominus eam cum ἀναγνωρισμῷ Ὀδυσσέως in rhaps. π coniungamus, nolo repetere. Iam altera huius libri pars inde a v. 182 circa Ὀδυσσέως ἐπάνοδον versatur. Utramque partem brevis intercedit expositio de procorum adventu in palatio quae mihi ad diasceuastam referenda videtur, ad eum dico, qui e duabus partibus sibi invicem contrariis, unum carmen efficere voluit. Nam primum quidem haec expositio fere tota ex iteratis versibus constat. Conferantur enim v. 167—169 cum δ, 625—627, v. 178. 179 cum v. 85. 86, v. 177 cum π, 358, v. 180—182 cum υ, 249 sqq. Deinde Medon, coenae vel prandii tempore, postquam ii, qui antea quoque pecora adduxerant, pastores nimirum, quibus certus pecorum numerus cotidie afferendus erat, advenerunt, procos in palatium vocat:

ἀλλ' ὅτε δὴ δείπνηστος ἔην καὶ ἐπήλυθε μῆλα
πάντοθεν ἐξ ἀγρῶν, οἱ δ' ἤγαγον, οἳ τὸ πάρος περ,
καὶ τότε δή σφιν ἔειπε Μέδων· ὃς γάρ ῥα μάλιστα
ἥνδανε κηρύκων καί σφιν παρεγίγνετο δαιτί·
κοῦροι, ἐπεὶ δὴ πάντες ἐτέρφθητε φρέν' ἀέθλοις,
ἔρχεσθε πρὸς δώμαθ' ἵν' ἐντυνώμεθα δαῖτα·
οὐ μὲν γάρ τι χέρειον ἐν ὥρῃ δεῖπνον ἑλέσθαι.

Μῆλα autem v. 170 non potest de solis ovibus intellegi, quia v. 180

proci oves capras sues et bovem immolant. At quomodo hoc fieri potuit cum v. 205 Eumaeus cum Melanthio, qui

αἶγας ἄγων, οἳ πᾶσι μετέπρεπον αἰπολίοισι
δεῖπνον μνηστήρεσσι. δύω δ᾽ ἅμ᾽ ἕποντο νομῆες

advenit, adhuc in itinere inveniatur? De Medontis persona quae hoc in loco mirum quantum ab ea discrepat, qualem priores Odysseae libri exhibent, multum a viris doctis disceptatum est. Cf. Spohn. de extr. parte p. 6, B. Thiersch. l. l. p. 91. Certe hae discrepantiae non flocci pendendae sunt. Accedit quod frequentiore loci immutatione in quo haec narratio versatur offendimus, quae minime cum praeceptis styli epici convenit quiete et lente procedentis. Quae cum ita sint de hac particula sic statuendum mihi videtur: cum duo carmina, de Telemachi alterum, alterum de Ulixis in urbem reditu, sine utriusque aliqua immutatione coniungi non possent, nam in secundo adventus procorum et praesentia in palatio ponitur, in priore nondum commemorata, insertis versibus 167—182, et utroque carmine paullulum decurtato, poeta hanc rhapsodiam composuit. Nam in v. 166, ubi prius carmen de *ἐπανόδῳ Τηλεμάχου* desinit, desiderantur aliquot versus, quibus quid Telemachus quidve Penelope postea fecerint indicetur. Alterius autem mancum esse initium, per se intellegitur.

Iam vero de *ἐπανόδῳ Ὀδυσσέως* accuratius disputandum est et videndum nonne hoc quoque carmen interpolationibus quibusdam turbatum sit. Et primo quidem adspectu narratio usque ad v. 491 satis bene cohaerere videtur. Eumaeus enim qui Ulixem in urbem deducit, in Melanthium incidit caprarium in itinere, in loco quodam admodum verbose descripto. Quamquam flagitiosis contumeliis obruuntur a Melanthio; tamen ira cohibita iter quiete persequuntur. Ubi in aulam palatii advenerant, in angulo quodam canem Argum inveniunt senie confectum qui agnito domino sub mendici forma latente moritur. Post Eumaeum aedes ingreditur Ulixes. Patrem benigne ibi exceptum, ambiendo cibos a procis mendicare iubet Telemachus. Paret Ulixes et ab omnibus procis largos cibos accipit, uno excepto Antinoo, qui senem opprobriis oneratum postremum scabello petit. Ulixes, iactu vitato, de laeso hospitio alta voce queritur et deorum vindictas implorat, ita ut reliqui proci fere omnes Antinoi atrocitatem improbent. Postremo v. 492 nova incipit narratio.

Tamen tota haec fabula plus semel et priori et posteriori Odysseae parti contraria est. Veluti id quod v. 195:

δὸς δέ μοι, εἴ ποθί τοι ῥόπαλον τετμημένον ἐστίν,
σκηρίπτεσθ᾽ ἐπειή φατ᾽ ἀρισφαλέ᾽ ἔμμεναι οὐδόν.

Ulixes ab Eumaeo scipionem petit, repugnat v. 437, ubi baculum iam a Minerva acceperat, quem *o*, 31 ad ipsum quoque Eumaeum attulerat.

Porro v. 213 Melanthius cum duobus pastoribus procorum coenae capras adducit. Contra ξ, 103 sqq. undecim greges caprini commemorantur, quibus ἀνέρες ἐσθλοί praesunt, quorum procis

— αἰεὶ — ἕκαστος ἐπ' ἤματι μῆλον ἀγινεῖ
ζατρεφέων αἰγῶν ὅς τις φαίνηται ἄριστος.

Sed ut haec aliaque leviora omittam, veluti quod limen palatii v. 339 fraxineum vocatur, quod v. 30 sicut in aliis locis lapideum erat, vel quod Antinous v. 376 de nimia mendicorum turba queritur, quamquam unum tantum Irum invenimus et omnino exilis mendicorum numerus in heroica erat aetate: displicet tota Ulixis narratio post v. 415, primum quia fere tota ex meris iteratis constat, deinde quia multis rebus ab ea discrepat, quam in rhaps. ξ protulerat Eumaeo.*) Atque mirari debebat Eumaeus, falsa mendacia procis proloqui hospitem sine ulla caussa idonea, neque tacitus his nugis interesse. Certe scholiorum sententia de hoc loco: καὶ οἴεται (Eumaeus) αὐτὸν ψεύδεσθαι τοὺς μνηστῆρας ἵνα μὴ παραγυμνώσῃ αὐτοῖς ἃ πέπυσται ἐν Θεσπρωτίᾳ περὶ Ὀδυσσέως inepta est et recte Rhodius l. l. p. 12: 'aber wenn er dem Antinous nichts davon sagen wollte, dasz er vom Odysseus beim Pheidon gehoert habe, so brauchte er deshalb nicht anzufuehren, dasz die Aegyptier ihn nach Kypros geschickt, zum koenig Dmetor, sondern konnte immerhin erzaehlen, dasz er nach Thesprotien gekommen sei und daran die worte knuepfen ἔνθεν δὴ νῦν δεῦρο τόδ' ἵκω πήματα πάσχων'.

Praeterea vero, ne sibi ipsi quidem semper convenit fabula, inconcinna interdum et saepius inepta, ita ut propter mirum verborum contextum et frigidam argumenti tenuitatem bono carmini contrariam, minores aliquot eius particulas in spurias referre interpolatasque necesse sit. Statim autem in v. 229 offendimus, primum quia Melanthius, amicus procorum, dominum suum θεῖον appellat: hoc enim vocabulum non communis ingenui cuiusque titulus est, sed aperte ostendit in aliquo viro hanc illamve virtutem esse laudandam, nec ab infideli pastore peroso Ulixi tribui potuit: deinde quia ineptum est, multo ante providere Melanthium feros et agrestes fore procorum mores et praenuntiare Ulixi, nulla addita caussa cur tam foede contra hospitem proci se gesturi sint, quos in aliis Odysseae partibus superbos quidem et insolentes, tamen bene moratos etiam videmus. Prorsus denique inepti sunt vv. 231. 232:

πολλά οἱ ἀμφὶ κάρη σφέλα ἀνδρῶν ἐκ παλαμάων
πλευραὶ ἀποτρίψουσι δόμον κάτα βαλλομένοιο.

qui si ad verbum redduntur, hanc praebent sententiam: latera (nomin.) vero ipsius, virorum e manibus in domo circa caput coniecti, multa sca-

*) Cf. Koës. de discrepantt. quibsdm. p. 32.

bella (accus.) conterent. Equidem plane ignoro qui fieri possit ut scabella capiti alicuius iniecta ab eiusdem viri lateribus conteri possint. Neque in iis grammaticorum interpretamentis acquiescere possum, de quibus Eustathius rettulit, quae meras continent nugas et in alium quemvis quam hunc in locum quadrare videntur. Quorum unum tamen animi caussa adscribere licet: *πολλὰ σφέλα κατὰ σκοπὸν μὲν ἀμφὶ τὸ τοῦ Ὀδυσσέως κάρη πεμπόμενα, τῇ δὲ τοῦ Ὀδυσσέως παρεκκλίσει ἐνσκήπτοντα ταῖς αὐτοῦ πλευραῖς, ἀποτρίψουσιν αἱ οὕτω πληττόμεναι πλευραί. ἀστείως δὲ ἔφρασεν ὡς τὰ σφέλα αἱ πλευραὶ ἀποτρίψουσι, καὶ οὐχὶ αὐτὰ τὰς πλευράς, διὰ τὸ δῆθεν στερεωτέρας εἶναι τὰς πλευράς. ὡς εἴ τίς φασιν εἴπῃ πολλὰς μαστίγας ὁ νῶτος κατέτριψεν.* Eiusmodi artificia interpretationis omnino vana sunt, et si quid hoc in loco esset tentandum, scribi posset cum quibusdam veterum *πλευράς* pro *πλευραί*, nam correptionem tuerentur exempla Hesiodea in Theog. 534. 653. Opp. 663. Sed quod huic concessum est non licuit Homero et recte Rhodius ostendit vv. 229—232 sine ullo narrationis incommodo posse deleri.

Transeo ad v. 285. Suaserat Eumaeus mendico ut aut prior domum ingrederetur, donec ipse extra maneret, aut si hoc nollet, ne tamen nimis diu ante portas commoraretur, quia facile aliquo iactu peti, saltem contumeliis obrui posset. Respondet Ulixes, praeeas modo, nam parum refert paullum vapulare, praesertim cum verberibus et malis quibuscunque animus meus adsuefactus sit. Pergit autem inepte v. 286:

γαστέρα δ' οὔ πως ἔστιν ἀποκρύψαι μεμαυῖαν,
οὐλομένην, ἣ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι δίδωσι,
τῆς ἕνεκεν καὶ νῆες ἐΰζυγοι ὁπλίζονται
πόντον ἐπ' ἀτρύγετον, κακὰ δυσμενέεσσι φέρουσαι.

Quid enim hoc ad verbera de quibus modo sermo erat, et quinam illi *δυσμενέες* sunt, quibus nave conscensa homines nimia fame compulsi bellum inferunt? Similis sententia primum extat in *η*, 216 et saepius redit in posterioribus libris, velut *ν*, 473, *ο*, 344, *σ*, 53 rell. cf. Athen. X, 412 A. B., hoc autem in loco ineptissime posita, sine dubio delenda est. Quibus versibus omissis ipsa narratio usque ad v. 337 optime procedit. Lepidissima fabula de Argo cane semper pro pulcherrima digressione carminis epici habita est. Etiam rixa Ulixis cum perfido pastore bene inventa et disposita est, nisi quis in tali potissimum nebulone tam pulcram versari narrationem miratur. Nihilominus egregia illa et admodum verbosa regionis descriptio v. 209, a tenui et aphoristico huius rhapsodiae colore multum distat et olim in capite singularis cuiusdam carminis mihi posita fuisse videtur. Accedit repugnantia quaedam inter v. 330 et 342. Nam ibi Telemachus Eumaeum ad se vocaverat. Cur igitur iterum accersit eundem, qui apud ipsum iam esse debebat? Collatis praeterea v. 337. 338:

πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιος ἠδὲ γέροντι
σκηπτόμενος, τὰ δὲ λυγρὰ περὶ χροῒ εἵματα ἕστο.

et v. 202. 203, qui eadem verba exhibent, augetur suspicio et veri similitudinis quandam induit speciem. At cum certioribus argumentis hanc sententiam firmare non possim, in eo consistam ut cum Rhodio vv. 328—335 reiciendos esse censeam. Tamen apertum est v. 339 commode subiungi posse ducentesimo tertio, quo facto simpliciter ἐπάνοδος Ὀδυσσέως enarratur.

Sed pergamus ad reliqua: nam etiam in v. 358 offendimus in quo ineptissime coena mendici de sordida pera cum cantu Phemii procorum mensae assidentis connectitur. Et cum sequentem versum veteres grammatici condemnaverint, cf. Scholl. in *X*, 529, non intellego quidni eandem licentiam in priori arrogemus. V. 360 tumultuantur proci in palatio, μνηστῆρες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα, i. q. Eustathius ita interpretatur: παυσαμένου δὲ τοῦ ἀοιδοῦ ὁ συνήθης βροντᾷ ὅμαδος. Sed ὁμαδεῖν significat 'tumultuari, verbis strepere' et de procis tum demum usurpatur, si certis de caussis irascuntur et excitati sunt, id quod in hunc locum non cadit. Etenim in *α*, 365, unde petitus est huius libri v. 360, procorum cupiditates pulcherrimo Penelopae adspectu inflammatae sunt: in *δ*, 768 aestuant proci, quia consilium interficiendi Telemachum inierant: in *σ*, 399 quia Eurymachus pincernam pro Ulixe vulneravit, denique in *χ*, 21 quia Antinous a mendico percussus est. Hic autem nulla caussa cernitur, cur proci tumultuantes sibi obstrepant. Porro quae v. 362 de Minerva dicuntur:

ἄγχι παρισταμένη Λαερτιάδην Ὀδυσῆα
ὤτρυν' ὡς ἂν πύρνα κατὰ μνηστῆρας ἀγείροι,
γνοίη θ' οἵτινές εἰσιν ἐναίσιμοι οἵ τ' ἀθέμιστοι·
ἀλλ' οὐδ' ὥς τιν' ἔμελλ' ἀπαλεξήσειν κακότητος.

perversa sunt et superflua et cum deae ingenio parum conveniunt. Etenim tum demum apta essent, si Minerva improbos tantum puniendos, contra bonos servandos esse statueret. Et bene Rhodius 'das ἐναίσιμον' inquit 'und ἀθέμιστον kann ferner sich hier nur darin zeigen, ob die freier geben oder nicht. da also nur Antinous sich weigert, welcher sogar noch einen frevel hinzufuegt, so sieht man nicht recht ein, warum von den andern niemand verschont werden sollte. in unsrem stuecke sind die freier, wenn man davon absieht, dasz sie das hab und gut des Odysseus aufzehren, durchaus ἐναίσιμοι oder wenigstens nicht ἀθέμιστοι'. Igitur hi quoque versus una cum praecedentibus mihi tollendi videntur.

In sequentibus autem usque ad v. 409 nihil nos moratur. Quod supra notavi, mirum esse et absurdum, longe alia Ulixem coram Eumaeo procis referre quam antea ipsi, iam hic ubi de interpolatis quaeritur, urgere non possum. Magis illud quod fere omnes versus ex aliis rhapsodiis

iterati sunt, vv. 427—441 e *ξ*, 258—272 ne verbo quidem mutato, vv. 419 —424 e *τ*, 75—80 ubi iustum habent et bonum connexum. Addo v. 410 et 426 quorum extremae partes in *ξ*, 241 et *δ*, 483 leguntur. Sed ipsam quaeso inspiciamus narrationem. Antimachus praeceps in iram Telemachum deridet et se quoque suam partem mendico tributurum esse dicit, nimirum verbera innuens: quo graviorem sermonem suum reddat, statim scabellum arripit, quod tamen in sequentibus neque coniectum legimus, neque repositum esse. Atque Ulixes Antimachi minas aut non intellexisse videtur, aut minus curare. Nam pergit ambiendo et precatur a reliquis procis a quibus modo dona acceperat, cf. v. 368, ut peram suam cibis compleant. Peracto ambitu iam ad limen redire volebat, cum in media via iterum apud Antinoum consistit. Cui cum magnam vitae partem invito enarret, rectissime loquacem et molestum mendicum Antinous iubet abire, qui ipsum tam rusticis verbis lacessit:

ὢ πόποι οὐκ ἄρα σοί γ' ἐπὶ εἴδεϊ καὶ φρένες ἦσαν.
οὐ συ γ' ἂν ἐξ οἴκου σῷ ἐπιστάτῃ οὐδ' ἅλα δοίης,
ὃς νῦν ἀλλοτρίοισι παρήμενος οὔ τί μοι ἔτλης
σίτου ἀποπροελὼν δόμεναι· τὰ δὲ πολλὰ πάρεστιν.

et si nunc demum scabello eum petit, iterum ut videtur arrepto, non enim *ἔχων* sed *ἑλών* dictum est, hoc quidem durum est, sed non videmus cur proci tam aegre hoc ferant. Stomachantur tamen, et cum praeterea haec particula quae narrationis integritatem haud parum perturbat, in eodem desinat versu a quo incipit, non dubito quin recte eam in interpolatas Rhodius rettulerit. Qua condemnata et reiecta omnia bene procedunt. Antinous, iuvenis iracundus et petulans miserum senem et hospitem scabello conicit, nullam aliam ob caussam quam quod Telemachus eius patrocinium suscepit, eoque ferocitatis procedit, ut eundem, cum iusto dolore de accepta iniuria queratur, insuper minis obruat. Certe haec asperitas vel procis, *νέοις ὑπερηνορέουσι*, nimia videbatur et iniusta, quare non potuerunt, quin statim Antinoum vehementer vituperarent. Quo in loco illud tamen notandum est, non sine summa probabilitate veteres grammaticos condemnasse vv. 475—480. Cf. Scholl.: *νοθεύονται ς'· πῶς γὰρ ὁ Ἀντίνοος ἐκαρτέρησε ἐπὶ ταῖς κατάραις, ὃς ἐπὶ τοῖς ἐλάσσοσιν οὕτως ἠγρίανε; πῶς τε συναλγοῦσιν αὐτῷ οἱ λοιποὶ, εἰ τοιοῦτος ὢν οὕτω κατηρᾶτο πικρῶς;*

Haec igitur ea sunt quae de *Ὀδυσσέως ἐπανόδῳ*, secundo huius rhapsodiae carmine statuenda videntur, cuius integra forma haec olim fuit opinor, ut continuo ordine, aut v. 183—203, 339—357, aut quod minus veri simile est v. 183—357 praeter 229—232, 286—289, 328—335 coniuncti fuerint cum 365—408 et 462—491. Iam pergo ad reliquam libri partem, quae novam continet fabulam, argumento quidem notabilem, sed nullo modo cum praecedentibus connexam.

Redit autem poeta ad Penelopen, quam v. 166 cum Telemacho reliquimus. Non dictum est reginam se in alium locum contulisse: omnino quid interea fecerit nescimus. Certe in eodem conclavi etiamnunc esse debebat in quod Ulixes, Eumaeus et proci convenerant. Etiamsi in v. 192 de loco in quo versatur nihil aperte dicitur, alii tamen conclavi inesse videtur, primum quia ab ancillis stipata est, et omnino inter viros non versabatur, deinde quia Ulixem coniectum esse audit, non videt. Aliter vero iam in v. 500 res sese habet, in quo omnia facinora modo ab Antinoo commissa Penelope recenset, quae quia audiri non poterant, vidisse videtur. Sane vv. 501—504 reiecit Aristarchus, *νοθεύει Ἀρίσταρχος δ'. πῶς γὰρ ταῦτα εἰδῇ;* tum vero etiam v. 500 ineptus est, quia nulla caussa erat, cur Antinoum prae ceteris vituperaret Penelope. Omnino autem non liquet utrum Aristarchus revera hos versus reiecerit, an in suspicionem tantum vocaverit, nam possunt etiam sequentia scholiorum verba *ἢ εἰ μήπως κατὰ τὸ σιωπώμενον* ad eum referri. Praeterea quae v. 522 Eumaeus de Ulixe dicit:

φησὶ δ' Ὀδυσσῆος ξεῖνος πατρώϊος εἶναι
Κρήτῃ ναιετάων, ὅθι Μίνωος γένος ἐστίν.

mentitur aperte, nam talia Ulyxes nunquam finxerat. Inconcinnitatem sermonis reprehendimus vv. 532. 533, in quibus procorum *κτήματα* modo *ἀκήρατα* in aedibus iacere, modo a servis vel aedium incolis comedi dicuntur, cum *ἀκήρατον* apud Homerum integrum significet et intactum, igitur nondum comesum. Displicent etiam vv. 534—538, e *β*, 55—59 repetiti, quia ineptum est Penelopen ea nunc Eumaeo dicere, quae dudum sciebat et melius fortasse quam ipsa regina. Maximopere autem in v. 541 offendimus, in quo Penelope filium suum bono omine sternuisse censet, nam in toto Homero nunquam pro omine habetur, si quis forte sternuit. Et ineptissimum est quod sternuente Telemacho, tota domus, h. e. magnum et splendidum Ulixis palatium, horrendum in modum consonuisse dicitur. Quo de loco contulisse iuvat *κ*, 397 sqq.:

ἔγνωσαν δ' ἐμὲ κεῖνοι, ἔφυν τ' ἐν χερσὶν ἕκαστος.
πᾶσιν δ' ἱμερόεις ὑπέδυ γόος, ἀμφὶ δὲ δῶμα
σμερδαλέον κανάχιζε· θεὰ δ' ἐλέαιρε καὶ αὐτή.

ubi in aedibus Circes clamores Graecorum resonant. Sed quid est cur Penelope, cum paullo ante, vv. 162 sqq., Theoclymeni verbis per iusiurandum tam certe prolatis non confisa sit, cum per totam fere Odysseam omnem spem de reditu Ulixis deposuerit, tanti faciat istas apinas, quibus propinquam procorum caedem significatam esse censeat? Displicet omnino narratio minus actuosa, per tot versus in eodem loco consistens: ter enim Penelope Eumaeum hospitem iubet accersere, v. 500. 529. 544, qui hoc

iam primum fecisse debebat. Atque ipse Eumaeus neglegentius paullo reginae mandata exequitur, nam quae v. 558 dicit Ulixi:

σῖτον δὲ καὶ αἰτίζων κατὰ δῆμον
γαστέρα βοσκήσεις. δώσει δέ τοι, ὅς κ᾿ ἐθέλῃσιν.

ultro eius verbis addita sunt. Deinde v. 600 Telemachus Eumaeum cras cum hostiis redire iubet, de quo mirari debebat subulcus, qui suem cotidie in urbem demittere non deducere consuevit, cf. ξ, 107. Sane in υ, 163 mane cum tribus suibus adest. At cum vel ex miro argumento et languida narratione apertum sit hos versus nihil continere nisi prooemium quoddam ὁμιλίας Ὀδυσσέως καὶ Πενελόπης, confectum aut a rhapsodo quodam aut ab eo cui carminum compages debetur, promta est suspicio haec Telemachi verba post v. 598 ad vitandam discrepantiam tantum esse inserta, ut versus ille libri vigesimi cum ξ, 108 conveniret. Denique illud accedit, quod ne temporis quidem ratio sibi constat. Nam δειελιάσας h. e. tempore pomeridiano Eumaeus domum revertitur. At sero cum Ulixe in urbem abierat v. 190 (δὴ γὰρ μέμβλωκε μάλιστα ἦμαρ) quem ipse de vespertino frigore monuerat: quod primum male cum v. 23 convenit, in quo Ulixes Telemacho dixerat, se brevi post ipsum, modo frigus matutinum paullum fractum sit in urbem esse abiturum: deinde ne in sequentia quidem aptum est. Nam ex Eumaei itinere in rhaps. π et ex Ulixis verbis, ἕκαθεν δέ τε ἄστυ φάτ᾿ εἶναι, multum distare regiam a subulci aedibus apertum est. Itaque si qui sero viam ingressi erant, neque non sero in urbem venire debebant. Attamen Eumaeus et Ulixes incidunt in via in caprarium, qui primo diluculo pecora in urbem deducebat, et mane etiam procis superveniunt primam coenam parantibus. Iam vero si Eumaeus in fine libri hora pomeridiana rus rediisse dicitur, sanam temporum computationem ex tot discrepantiis eruere non possum.

Sed ut summam disputationis paucis comprehendam, de rhaps. ρ res eo redire mihi videtur, ut statuendum sit, perversis quibusdam versibus (vv. 167—182) duo carmina esse coniuncta, ἐπάνοδον Τηλεμάχου et ἐπάνοδον Ὀδυσσέως, ultimam vero particulam post v. 492 pro mera interpolatione esse habendam, profectam a diasceuasta ut quasi prooemium quoddam sequentium carminum nobis proponeretur. Id quod in decursu commentationis etiam aliis de caussis probabitur.

CAPUT QUARTUM.

DE RHAPSODIA DECIMA OCTAVA.

Argumentum rhapsodiae σ cui inscriptum est a grammaticis *Ὀδυσσέως καὶ Ἴρου πυγμή,* tribus continetur partibus, quarum prima, a cuius initio certamen inter Ulixem et Irum narratur, v. 157 absolvitur. Ipso certamine in v. 109 confecto, Ulixes laudatur a procis propter virtutem et magnam ciborum copiam ab Antinoo et Amphinomo accipit. Quorum cum hic benignis verbis Ulixem allocutus sit, mendicus se longo sermone ad eum convertit hortaturque ut a nefario suo incepto desistat, ne si quando Ulixes redierit, iustissimas facinorum vices dii ab ipso exigant: nam mutabilem esse et inconstantem hominum condicionem, quare caveat quisque ut ne in rebus secundis nimis elate se gerat.

Hactenus narratio bene procedit. Fuerunt quidem, qui uberius quam apertius loqui Ulixem censerent, multaque eius verba reprehenderent tamquam cum vera Amphinomi condicione parum convenientia. Sed hi acutius rem curasse mihi videntur. Certe unum est quod displicet in Ulixis sermone, in quo permulti versus ex aliis Homericorum carminum partibus iterati sunt. Sed cum ex solis iteratis hanc illamve carminis cuiuspiam partem interpolatam esse et spuriam demonstrari non possit, de argumenti potius connexu quaerendum est, inter hanc fabulam et priores intercedente. At non dubito quin apertum sit, hanc particulam cum fine rhaps. ϱ non cohaerere, quia consentaneum erat annuntiatam *ὁμιλίαν* statim ipsam *ὁμιλίαν* excipere. Itaque subiungendam eam esse censerem ϱ, 491:

ἀλλ' ἀκέων κίνησε κάρη, κακὰ βυσσοδομεύων.
ἦλθε δ' ἐπὶ πτωχὸς πανδήμιος, κτλ.

nisi ipsum certamen lepide et iocose narratum nimis ab elato procorum sermone abhorreret, qualem ϱ, 483 sqq. edunt, cum nescio quem coelicolam assumta mendici forma ipsorum coetui interesse suspicentur. Poterit etiam illud obstare quod Antinous et Eurymachus *πεπνυμένω ἄμφω* appellantur ab eodem Telemacho, qui cum in priore rhapsodia paullo iniquius contra patrem se gessissent, vix iram cohibere potuerat. Attamen cum his solis argumentis utpote levioribus, certe probari non possit, utrumque carmen seorsim olim extitisse, rem integram relinquere malo, quam praeoccupatae opinioni nimis indulgere.

Secunda vero huius rhapsodiae pars, relictis procis, vv. 158—300 circa Penelopen versatur, cui Minerva consilium indidit procos adeundi

ὅπως πετάσειε μάλιστα
θυμὸν μνηστήρων, ἰδὲ τιμήεσσα γένοιτο
μᾶλλον πρὸς πόσιός τε καὶ υἱέος ἢ πάρος ἦεν.

Ornatur autem divina pulcritudine ab ipsa dea. Deinde ad procos descendit quorum Eurymachus eam blandis verbis alloquitur, parvo colloquio cum Telemacho interposito. Tantum vero abest ut blanditias Eurymachi sibi vindicet Penelope, ut de procorum moribus queratur, qui aliena bona comedentes, ipsi ne dona quidem nuptialia attulissent. Dicit autem:

μνηστήρων οὐχ ἥδε δίκη τὸ πάροιθε τέτυκτο.
οἵ τ' ἀγαθήν τε γυναῖκα καὶ ἀφνειοῖο θύγατρα
μνηστεύειν ἐθέλωσι καὶ ἀλλήλοις ἐρίσωσιν,
αὐτοὶ τοί γ' ἀπάγουσι βόας καὶ ἴφια μῆλα,
κούρης δαῖτα φίλοισι, καὶ ἀγλαὰ δῶρα διδοῦσιν,
ἀλλ' οὐκ ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσιν.

Atque procis Penelopae querela non improbatur. Itaque praeconem quisque domum dimittit, qui dona apportet. Quibus allatis Penelope in superas aedium partes revertitur.

Haec autem narratio plus uno vitio laborat. Primum enim iam per se mirum est, decimo demum anno post Ulixis profectionem, cum proci iam diu in aedibus regiis versati sint, hoc consilium a Penelope iniri. Huc accedit quod de loco non constat, in quo reginam, quam in fine rhaps. *ρ* in *θαλάμῳ*, procorum *μεγάρῳ* apposito, relictam nunc in *ὑπερῴοις* invenimus, interea commoratam esse statuamus. Multo gravius illud est, quod omnino non intellegitur, quam tandem ob caussam Minerva hoc consilium indiderit, quoniam ea, quam vv. 160 sqq. indicare videntur:

ὅπως πετάσειε μάλιστα
θυμὸν μνηστήρων ἰδὲ τιμήεσσα γένοιτο
μᾶλλον πρὸς πόσιός τε καὶ υἱέος ἢ πάρος ἦεν

ineptissima est et vix pro caussa habenda. Etenim si Penelope procorum libidinosas cogitationes excitabat, nam bene scholiasta *πετάσειε* illud per *ἀναστῆσαι πρὸς ἐπιθυμίαν* interpretatus est, cf. v. 212. 213, neque Ulixi neque Telemacho magis honorata videri potuit: in eiusmodi vero cogitatum, quo maiorem tam apud filium quam m a r i t u m sibi honorem pararet, certe non ea incidere potuit, quae maritum absentem, de cuius reditu prorsus desperaverat, iam adesse ignorabat. Et quid ridet Penelope de hoc consilio et *ἀχρεῖον* quidem, i. e. simulate, falso vel *ἄκαιρον μηδένος προσκειμένου* secundum scholia?

Sed consilium suum v. 164 communicat cum Eurynome:

Εὐρυνόμη, θυμός μοι ἐέλδεται, οὔ τι πάρος γε
μνηστήρεσσι φανῆναι ἀπεχθομένοισι περ ἔμπης·
παιδὶ δέ κεν εἴποιμι ἔπος, τό κε κέρδιον εἴη,

μὴ πάντα μνηστῆρσιν ὑπερφιάλοισιν ὁμιλεῖν,
οἵ τ' εὖ μὲν βάζουσι, κακῶς δ' ὄπιθεν φρονέουσιν.

Quodsi consciam consilii habere voluit Penelope, cur Eurynomen veras consilii caussas (cf. v. 160. 161) celavit et falsas mentita est? Itaque putat haec modo filii caussa reginam ad procos descendere velle, laudat eius verba eamque hortatur ut lota et uncta ad eum se conferat:

ναὶ δὴ ταῦτά γε πάντα, τέκος, κατὰ μοῖραν ἔειπες.
ἀλλ' ἴθι καὶ σῷ παιδὶ ἔπος φάο μηδ' ἐπίκευθε,
χρῶτ' ἀπονιψαμένη καὶ ἐπιχρίσασα παρειάς·
μηδ' οὕτω δακρύοισι πεφυρμένη ἀμφὶ πρόσωπα
ἔρχευ, ἐπεὶ κάκιον πενθήμεναι ἄκριτον αἰεί.
ἤδη μὲν γάρ τοι παῖς τηλίκος, ὃν σὺ μάλιστα
ἠρῶ ἀθανάτοισι γενειήσαντα ἰδέσθαι.

Apparet autem haec verba in illam Penelopae condicionem, cum de procis potissimum et obiter tantum de filio cogitaverit, parum quadrare. At nihil obloquitur, neque Eurynomen erroris arguit. Lavari tantum et ornari recusat, et duas potius puellas quae ipsam in procorum coetum comitentur, eam accersere iubet. Ubi abiit femina, Penelope, alto somno a Minerva devincta, divina pulcritudine ornatur. Tum demum redit Eurynome cum puellis et dominam expergiscit e somno. Eam obdormivisse interea idque per tantulum temporis, nemo miratur. Neque pulcritudinem eius animadvertunt puellae, quae tacitae cum ipsa in procorum conclave descendunt. Ibi Telemachum increpat mater quod iuvenis tam fortis tamque aetate provectus, hospitem foedissime tractari passus sit. Hanc vero ob caussam e superiore aedium parte Penelope non descenderat, immo longe alia filio dicere volebat. Et quomodo ex *ὑπερῴῳ* certamen Ulixis cum Iro observare potuerat!

Displicet etiam Telemachi responsum et paullo ineptius videtur v. 227:

μῆτερ ἐμή, τὸ μὲν οὔ σε νεμεσσῶμαι κεχολῶσθαι·
αὐτὰρ ἐγὼ θυμῷ νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα,
ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρηα· πάρος δ' ἔτι νήπιος ἦα.
ἀλλά τοι οὐ δύναμαι πεπνυμένα πάντα νοῆσαι·
ἐκ γάρ με πλήσσουσι παρήμενοι ἄλλοθεν ἄλλος
οἵδε κακὰ φρονέοντες, ἐμοὶ δ' οὐκ εἰσὶν ἀρωγοί.

h. e. at ego animo scio et perpendo quaecunque, tam bona quam peiora: adhuc vero puerilis eram: sed non possum perite omnia cogitando persequi, quoniam assidentes me conturbant proci, modo hi, modo illi. Aristarchus autem, quem unum tantum versum 229 reiecisse accepimus, in sananda sententia parum profecit, quoniam illud *νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα*, et alterum *ἀλλά τοι οὐ δύναμαι πεπνυμένα πάντα νοῆσαι* aliquantum sibi repugnare videntur. Praeterea talis excusatio parum cum

Telemachi moribus convenit, fortissimi iuvenis, qui audacissimis iam verbis se saepius procorum insolentiae opposuit. Postremo proci non audivisse videntur diras eius imprecationes. Nam Eurymachus certe talia silentio non tulisset. Itaque putabam aliquando interpolatos esse vv. 214—243. At propter v. 166 deesse non possunt. Iam in sequentibus Penelope, callida oratione spem nuptiarum ostentans, a procis sibi munera deposcit. Unusquisque eorum, ergo ii quoque quibus Zacynthi et Dulichii domicilia erant, domum praeconem mittit, qui Penelopae dona afferat. Statim redeunt praecones. Procis dona tradunt, quibus acceptis Penelope in superas aedium partes revertitur. Quid interea egerit apud procos, nam satis magnum temporis spatium inter profectionem et reditum praeconum interiectum fuisse perspicuum est, poeta non tradidit.

Inveniuntur autem in hac quoque parte multi versus ex aliis carminibus iterati, velut v. 195 e *ϑ*, 20, v. 207—211 ex *α*, 331—335, v. 249 e *λ*, 337, v. 271 e *β*, 330, v. 274 e *ϑ*, 147, v. 280 ex *α*, 160 vel *ξ*, 377, v. 288 et 289 e *β*, 127. 128, nec non v. 283 e *β*, 92. Atque apertis quidem discrepantiis haec pars priori non repugnat, ut vel hanc ob caussam ambae disiungendae sint: sed illa pulcram et accuratam digressionem exhibet, non magis ab Odysseae argumento alienam, quam tot alia episodia: haec autem magna perversitate laborat et propter multas rerum ineptias neque sibi ipsi conveniens est, neque rerum condicioni antea descriptae. Itaque non multum a vero ii abesse mihi videntur, qui hanc partem a priore seiungendam esse contenderint, modo ne illud censeant e sola narrationis perversitate argumenta peti posse, quibus recentior eius origo probetur.

Restat denique ut de tertia huius libri parte disputemus, a v. 304 incipiente. In qua Ulixes, dum proci solitos ludos in noctem usque protrahunt, ancillarum inertiam increpat, ideoque a Melanthone contumeliis excipitur. Minerva vero, cum Ulixem, ut dolor quam maximus eius animum indueret, a procis quoque iniquius tractari vellet, nova sequitur fabula ad similitudinem prioris in rhapsodia *ϱ* composita, nisi quod haec circa Eurymachum, circa Antinoum illa versatur. Ulixes ab Eurymacho primum irridetur, deinde scabello petitur. Iactum vitavit quidem, sed fortasse etiam graviora passus esset, nisi Telemachus, ut suam quisque domum abiret, procos admonuisset. Amphinomo auctore, qui asperius hospitem tractatum esse bene intellegit, vinum temperatum unicuique porrigitur. Itaque proci, facta libatione, ex aedibus regiis cubitum discedunt.

Ceterum haec fabula nec cum prima nec cum secunda huius libri parte ullo modo cohaeret. De quo nemo opinor mirabitur, cum altera digressionem tantum exhibeat, altera incommode omnino inserta sit. Sed quia iam in fine rhaps. *ϱ* proci cantu et saltatione occupati erant, id quod

in prima et secunda huius libri parte animadverti non potuit, eademque hic facere pergunt, fortasse v. 306 extremo versui rhaps. ϱ subiungi posset, ita ut hunc in modum procederet oratio:

οἱ δ᾽ ὀρχηστυῖ καὶ ἀοιδῇ
τέρποντ᾽ ἤδη γὰρ καὶ ἐπήλυθε δείελον ἦμαρ.
τοῖσι δὲ τερπομένοισι μέλας ἐπὶ ἕσπερος ἦλθεν.

— nam facile vv. 304. 305, repetitis ex α, 421. 422, carere nos patimur — nisi huic quoque sententiae graviores quaedam discrepantiae officerent. Nam ubi Ulixes, in rhaps. ϱ ab Antinoo coniectus, deorum invocavit vindicationem, omnes proci Antinoum contra fas se gessisse intellegunt eique vehementer irascuntur. Iam hoc in libro Eurymachus, unus ex iisdem iuvenibus qui Antinoi asperitatem vituperaverant, prorsus eodem modo hospitem tractare non dubitat. Rursus alius procus extat, qui Eurymachum iniuste facti accusat, immemor ut videtur iam Antinoum vituperatum esse, cum eadem paullo ante fecisset. Quae cum ita sint, duo carmina seorsim olim extitisse censeo, et in utroque Ulixem sub mendici forma latentem a proco quodam petulanter et aspere esse tractatum. Itaque facio cum Meistero, qui in Philologo l. l. p. 10 hunc in modum disputavit: 'die kraenkungen, welche Odysseus in seiner heimath, in seinem eignen hause erdulden muszte, wurden vielfach in liedern besungen; es war dies ein stoff, an den sich die innigste theilnahme der hoerer knuepfte, ein stoff, der fuer die endliche katastrophe von hoher bedeutung ist. aber an und fuer sich sind der schmaehungen und kraenkungen zu viele, es jagt ja foermlich eine die andre, dazu koemmt, dasz die darstellung in den einzelnen partien viel verwandtes und aehnliches bietet, ja hier und da directe entlehnung offen vorliegt. da liegt, wie mir scheint, die vermuthung nicht zu fern, dasz es urspruenglich einzelne lieder waren, welche spaeter zu einem ganzen zusammengefuegt wurden, so aber, dasz man die spuren ehemaliger selbststaendigkeit oefters noch deutlich genug erkennen kann'.

Per se autem spectata haec pars nihil exhibet molesti, nisi quis in v. 338 haerere velit, in quo Ulixes contumeliis obrutus a Melanthone, se Telemachum aditurum esse minatur, ut gravissimas poenas de ipsius insolentia exigeret. At Telemachus cum Ulixe et procis tam per praecedentem rhapsodiam, quam in priore et extrema huius libri parte, cf. v. 410, in eodem conclavi versatur. Itaque rixam inter Ulixem et ancillas, quae eodem sine dubio convenerant, exortam audivisse debebat, neque facile intellegitur quid Ulixis verba sibi velint:

ἦ τάχα Τηλεμάχῳ ἐρέω, κύον, οἷ᾽ ἀγορεύεις,
κεῖσ᾽ ἐλθών, ἵνα σ᾽ αὖθι διὰ μελειστὶ τάμῃσιν.

Ut verum fatear, exorta mihi est suspicio hanc ob caussam vv. 305—345

ab extrema libri parte seiungendos esse, eo praeterea nixa quod vv. 346—348:

Μνηστῆρας δ' οὐ πάμπαν ἀγήνορας εἴα Ἀθήνη
λώβης ἴσχεσθαι θυμαλγέος, ὄφρ' ἔτι μᾶλλον
δύη ἄχος κραδίην Λαερτιάδην Ὀδυσῆα

vel *Λαερτιάδεω Ὀδυσῆος* etiam *υ*, 346 sqq. in initio carminis singularis inveniuntur. Sed nolo levidensibus argumentis nimium tribuere, et cum satis ostendisse mihi videar rhapsodiam *σ* e tribus constare particulis inter se parum connexis, immo sibi contrariis, quarum secunda praeterea multis rerum ineptiis laborat et ne tertia quidem cum praecedente aliquo carmine coniungi potest, transeo ad rhapsodiam *τ*.

CAPUT QUINTUM.

DE RHAPSODIA DECIMA NONA.

Rhapsodiae *τ* recte veterum grammaticorum alii a summa totius argumenti inscripserunt *Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης ὁμιλία* nam continetur colloquium Ulixis cum Penelope intra v. 46 et finem libri, alii non minus recte *τὰ νίπτρα*. Huic autem colloquio alia quaedam praefixa est particula de armorum depositione, quae cum reliqua libri parte minime cohaeret. Quae brevissima quidem, innumeras tamen continet perversitates sibique ipsi tam parum convenit, ut quasi consulto e versibus sibi vel maxime contrariis ab inepto quodam interpolatore consuta videatur. Et quia elocutione quoque et abrupto dictionis genere, de quo monuisse sufficit, recentioris aevi originem manifeste prodit, certe a genuino textu Homericorum carminum abiudicanda est.

Iam vero cum alienum sit a proposito de rebus grammaticis loqui hoc in loco, ad eruendas perversitates et repugnantias quas versibus istis inesse dixi, initium facio a versu secundo,

αὐτὰρ ὁ ἐν μεγάρῳ ὑπελείπετο δῖος Ὀδυσσεύς,
μνηστήρεσσι φόνον σὺν Ἀθήνῃ μερμηρίζων.

Sane mirum videtur, cum Ulixe adesse Minervam et consulere de caede procorum de cuius adventu nihil poeta nobis tradidit. Et cum de consiliis quae inierint nihil referatur, neque omnino Ulixes ita se gerat ac si coram dea colloquatur cum filio, censeat aliquis verbis illis *ὑπελείπετο σὺν Ἀθήνῃ μερμηρίζων* nihil significari quam poeticam quandam formulam, pro qua prosarius scriptor dixisset, Ulixes diligentissime de interitu procorum meditatus est. Nam graviora quaeque et bene cogitata vel

gesta cum ad alios deos, tum ad Minervam referunt homines apud Homerum, sicuti in rhaps. η Epeus σὺν Ἀθήνῃ equum ligneum confecisse dicitur in cuius alveo absconditi Graecorum principes Troiam urbem intraverunt. Ipsam vero Minervam adesse apparet e v. 34, in quo aureum candelabrum Ulixi praetulisse dicitur. At non agnoscitur a Telemacho, neque a solo eam agnitam fuisse Ulixe poeta tradidit. Deinde offendimus in versu quarto, in quo Telemachum arma intus deponere iubet Ulixes,

χρὴ τεύχε' ἀρήια καταθέμεν εἴσω.

quia nescimus quem locum poeta vocabulo εἴσω significare voluerit. Nam in illo certe conclavi, e quo ipsi non exierant, Telemachus arma deponere non potuit, alium vero locum in quem deferrentur, Ulixes nondum designaverat. In sequente autem versu miramur breviloquentiam poetae. Nam Telemachus lenibus verbis procos demulcire iubetur, si forte interrogetur ab iis, quam ob caussam haec ita fecerit. At in fine praecedentis rhapsodiae procorum unusquisque domum abierat. In versu decimo quarto huius rhapsodiae Telemachus patris dicta exequitur, saltem paruisse patri dicitur: sed quomodo hoc fieri potuit absentibus procis? Cum vero hi versus asterisco notati fuerint a grammaticis, deferimur ad π, 180 sqq., ubi paene eadem verba ita leguntur, ut simul locus indicatus sit ab Ulixe, in quem arma deferri velit, nam dicit ibi:

ὅσσα τοι ἐν μεγάροισιν ἀρήια τεύχεα κεῖται
ἐς μυχὸν ὑψηλοῦ θαλάμου καταθεῖναι ἀείρας
πάντα μάλ' κτλ.

Zenodoti iudicium de hoc loco iam supra commemoravi. Itaque si hi versus, qui illo in loco ferri non possunt, in initium rhapsodiae τ deferuntur, sane prior haesitatio tollitur, e vocabulo εἴσω profecta: manet altera et gravior quidem: nam parum cum accurata eloquendi ratione poetae epici convenire mihi videtur, quod Ulixes ea filio praecipit, quae cum statim ab eo fieri velit, fieri non possint: Telemachus autem patri paruisse dicitur, qui arma quidem deportat, non vero procos alloquitur. Sed nolo his rebus nimium tribuere, quia alia praeterea supersunt argumenta, quibus iudicium meum confirmetur, quod de hoc loco proposui.

Nam Telemachus Eurycleam nutricem, quam nescio unde evocavit, ita alloquitur:

μαῖ' ἄγε δή μοι ἔρυξον ἐνὶ μεγάροισι γυναῖκας
ὄφρα κεν ἐς θάλαμον καταθείομαι ἔντεα πατρός.

quo in loco imperatoriam quantam Telemachi brevitatem aegre ferimus. Sine dubio mulieres eam ob caussam retineri voluit, ne proci per ancillas acciperent arma esse deportata. Sed quidni Homerus, cum alias vel in minutissimis rebus enarrandis summa verborum ubertate versatus sit, hic quoque sententiam suam paullo distinctius protulit? Quid vatem? Eury-

clea num retinet mulieres? Apertis verbis ne hoc quidem a poeta narratur, etiamsi huc referendus videtur v. 30:

κλήϊσεν δὲ θύρας μεγάρων εὖ ναιεταόντων.

Sed quid est, quod Euryclea δμῳὰς δ' οὐκ εἴας προβλωσκέμεν dicit, h. e. cur imperfectum legimus v. 25, cum unice praesens toti loco conveniat, imperfectum vero tum demum aptum videretur, si poeta narrasset, Eurycleam mulieres iam inclusisse? Deinde interrogatus a nutrice

ἀλλ' ἄγε τίς τοι ἔπειτα μετοιχομένη φάος οἴσει;

statim respondet Telemachus:

ξεῖνος ὅδ' οὐ γὰρ ἀεργὸν ἀνέξομαι, ὅς κεν ἐμῆς γε
χοίνικος ἅπτηται καὶ τηλόθεν εἰληλουθώς.

Quae cum dixisset, consentaneum erat, Ulixem arrepta face praeire. At Ulixes arma cum filio nescio quem in locum importat, et Minerva potius aureum candelabrum prehendit et pulcherrimo lumine totam eorum viam illustrat. Certe nemo suspicari potuit, Minervam haec esse facturam. Atqui Ulixes quem facem gestaturum esse dixerat Telemachus, hoc non facit: ergone sine lumine viam ingressuri erant nocturnis tenebris obscuratam? Quod cum ineptum sit, ne illud quidem assequimur, quod pater a filio ne verbo quidem interrogatur, quidni lucem accenderit. Longum est omnes enumerare discrepantias et ineptias, quae ante v. 50 occurrunt. Omnia perverse, abrupte, ieiune prolata sunt et cum initium rhapsodiae:

αὐτὰρ ὁ ἐν μεγάρῳ ὑπελείπετο δῖος Ὀδυσσεὺς
μνηστήρεσσι φόνον σὺν Ἀθήνῃ μερμηρίζων

etiam v. 51. 52 repetitum sit, veri simillimum mihi videtur, quinquaginta hos versus interpolatori vel diasceuastae potius deberi. Quo in loco Thierschii sententiam commemoro, qui cum in dissertationis p. 29 de episodiis exponat, quae Aristotele auctore poetae epico concessa sint, haec addit: 'ueberhaupt fand Aristoteles in seiner ganzen Odyssee nichts ἄλογον, als die ἔκθεσις (poet. c. 25). ist wohl nicht, wie Hermann zu dieser stelle meint, v. 187, sondern ist vielleicht die ἔκθεσις ὅπλων im anfang der neunzehnten rhapsodie'. Ansam dederunt interpolatori sequentia carmina, in quibus proci inermes ab Ulixe occiduntur: quod ne prioribus Odysseae partibus repugnaret, certe initium rhapsodiae τ aptissimum erat in quo narratio de armorum deportatione insereretur.

Inde a v. 50 unum sequitur carmen continuum quidem, sed multis ineptiis et mira quadam rerum expositione laborans, neque semel tantum prioribus carminibus contrarium. Tamen duobus tantum in locis de interpolatione cogitari potest.

Ac primum quidem in vv. 106 sqq. Etenim quaerenti Penelopae v. 105:

τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες

respondet Ulixes: gloria tua o regina usque ad coelum pertinet, οὐκ ἄν

τίς σε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν νεικέοι, h. e. *διαβάλλοι ἐπὶ κακοξενίᾳ*, quapropter noli de patria mea sciscitari: tum enim lacrimabo et videbor aut ebrius esse aut parum liberaliter a te exceptus, quod utrumque nolo. Itaque dubitat Ulixes fortunam suam enarrare: quam si nihilo secius Penelope audire volebat, necessario omnes scrupulos et dubitationes mendico debebat eximere. Hoc autem non facit. Immo vitam suam ipsa enarrat contra omnem expectationem et subito transitu v. 161 iterum hoc petit ab Ulixe. Ipsa vero reginae narratio ex meris iteratis constat, atque permirum videtur quod Penelope falsis nuntiis totiens decepta et admodum suspiciosa, totam Ulixi se credit. Ceterum cum iam veteres grammatici obelo notaverint vv. 130—160, non video quidni eadem ratione etiam reliquos eiciendos esse statuamus, praesertim cum eadem verba tam in initio, v. 105, quam in fine spuriae particulae, v. 164, inveniantur. Sublatis autem his versibus nihil desideratur, nam v. 166:

οὐκέτ' ἀπολλήξεις τὸν ἐμὸν γόνον ἐξερέουσα

referri potest ad rhaps. *ρ*, in qua Penelope hospitem per Eumaeum ter accersiverat.

Secundam interpolationem invenisse mihi videor post v. 394. Quo in loco Euryclea, cum in pedum lavatione Ulixis cicatricem animadvertisset, statimque dominum agnovisset, consentaneum erat, poetam nobis exponere, quantopere nutricis animus cognitione illa commotus fuerit. Contra narratio subito quasi inter sacrum et saxum consistit. Longe interiecta est digressio perversa et incommoda, quia ab ipso poeta narratur, supervacanea quia v. 465 tamquam per epitomen paucissimis verbis reddita est. Appropinquante enim fabulae *καταστροφῇ*, quid accurata illa relatio ad nos, de ratione qua Ulixes olim vulnus acceperit, modo vulneratum eum esse aliquando didicerimus? Quid? Num grata Ulixis necessitudo est cum Autolyco, quem poeta *κλεπτοσύνῃ θ' ὅρκῳ τε* prae ceteris hominibus excelluisse dicit? Num ullum vestigium studii etymologici et nominum symbolices, quale vv. 408—410 exhibent, apud Homerum invenitur nisi in versibus subditivis? Ullone in loco Homericus carmina commemoravit vel incantationes, quae sistendo sanguini inservirent? Nam quae in scholiis leguntur: *ἰστέον ὅτι ἀρχαία ἐστὶν ἡ διὰ τῆς ἐπαοιδῆς θεραπεία, ὥστε καὶ Πίνδαρος* (Pyth. III, 9) *ἐπὶ τοῦ Ἀσκληπιοῦ μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς λέγει*, inepta sunt quoniam haud brevi saeculorum serie Pindarus distat ab Homero. Accedit autem quod vv. 420—425 petiti sunt ex *η*, 315 – 320, v. 426 ex *μ*, 31, v. 427. 433. 434 ex *ζ*, 482 sqq., quod v. 438 conformatus est ad normam *γ*, 346, quod denique Nitzschius (annott. in Odyss. V, 482) vv. 439—444 interpolatos esse censuit. Tota vero hac digressione resecta, ita ut v. 394 v. 467 excipiat, eadem redeunt et v. 394 et v. 466, totam narrationem commode procedere et aequabiliter, quis est qui neget?

Reliquam libri partem quod attinet, statim haeremus in v. 55. Nam cum Penelope e thalamo in conclave descendat, in quo solus remansit Ulixes, non intellego qui dici potuerit:

τῇ παρὰ μὲν κλισίην πυρὶ κάτθεσαν

nam quominus κατὰ τὸ σιωπώμενον de duabus ancillis cogitemus, quae in virorum coetum reginam comitabantur, illud obstat quod nunquam ni fallor in tali enarratione iste versus omittitur — τῇ γε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο, qui hoc in loco deest. Et ne illud quidem praetereundum videtur, quod Penelope iam e thalamo procedit, cum σ, 302 se in ὑπερώια receperit unde v. 206 venerat, et tamen interest aliquid inter utramque aedium partem. Quod autem legimus in v. 60: ἦλθον δὲ δμωαὶ λευκώλενοι, inde non levidense petam argumentum pro sententia mea qua rhapsodiam τ cum subditiva ἐκθέσει cohaerere negavi. Nam Euryclea ancillas aut incluserat aut inclusisse debebat, quae nisi dimissae iterum ab eadem erant iam advenire non poterant. Quod cum non factum sit, certe narratio inter utrumque locum non convenit. Sed ancillae adsunt mensaque sublata igniaria afferunt, quo in loco Melantho δεύτερον αὖτις Ulixem increpitat. Atque haec quarta est contumelia, qua Ulixes eodem die afficitur. Omnes autem narrationes, quae iisdem paene verbis circa idem versantur argumentum, molestissimas esse apud Homerum, quoniam altera alteri fere semper repugnat, iam supra exposui in iis fabulis diiudicandis, quibus mutatis tantum nominibus bis narratum est aspere tractatum esse Ulixen a procis. Idem de hoc quoque loco valere videtur, collato cum σ, 310 — 345. Nam Ulixes v. 338 gravissimas Telemachi poenas ancillis propter insolentem procacitatem comminatus est. Statim omnes terrore perculsae aufugiunt. Tamen nunc, brevi tantum tempore interiecto, omnem timorem deposuisse videntur, cum eadem Melantho fere nullam ob caussam iterum Ulixen obiurget. Ea vero quae Meisterus l. l. p. 13 contra hunc locum fere ita disputavit: 'des Odysseus rede an dieser stelle ist merkwuerdig zahm, kleinlaut und ungehoerig lang; warum erzaehlt er der nichtswuerdigen frau aus seinem leben mit denselben worten wie oben v. 75 — 80 = ρ, 419 — 424? er erschoepft sich foermlich in gruenden, um ihr ihr unrecht zu beweisen und sie davon abzuhalten' — nolo omnia mea facere, immo bene hanc narrationem se habere censeo, et priorem potius in interpolata esse referendam. Etenim v. 65 paene totus rediit e σ, 321, et si hic quoque pro Μελανθὼ δεύτερον αὖτις scribitur Μελανθὼ καλλιπάρῃος, nihil est cur illum locum aliquis desideret.

Sed graviora etiam in sequentibus reprehendenda videntur. Et primum quidem Grotefendum non vitupero, qui e solis vocabulis Δωριέες τε τριχάικες probare voluit, sera admodum aetate hanc Odysseae partem compositam esse. Deinde v. 202 cum v. 192 non bene convenit. Transitus

a v. 203 ad v. 204 factus incommodus est. Verbum τήκεσθαι in quinque versibus 204—208 quinquies usurpatum, molestissimum videtur. Nemo intellegit cur Penelope propter pauca illa verba, quae Ulixes mentitus esse potuit, adeo fleat. Ea denique artium peritia quae in describenda aurea Ulixis fibula conspicitur, ab aevo Homerico aliena videtur. Inveniuntur etiam in vv. 215—248 multae verborum formationes significatus structurae novae et inusitatae. Vv. 251. 252 iidem sunt ac 213. 214. Tamen ne hic quidem de interpolatione cogitari potest, propter v. 265. sqq. Etiam ea quae v. 283 leguntur ab ingenio moribusque Ulixis prorsus abhorrent. Nemo intellegit quid vitae humanae brevitas ad reliquam Penelopae orationem faciat. Unusquisque in v. 345 sqq. necesse est offendat, quos grammatici quoque duabus de caussis obelo notaverant, primum quia Ulixes τὴν δυναμένην ἐπιγνῶναι seligeret, hoc autem cadit in exile poetae ingenium, deinde quia ridiculum esset, Ulixem tam serio egregiam feminam sibi deposcere, quae ipsius pedes ablueret. Inde vero hoc tantum effici potest, hanc narrationem ab Homero vel antiquo aliquo rhapsodo profectam esse non posse, sicut ingens versuum numerus, qui ex aliis carminibus iterati sunt, auctorem male et neglegenter Homerum imitatum esse indicat. Fabula ipsa continuum exhibet argumentum et non minus bene omnia usque ad v. 394 cohaerent, quam quae post v. 467 usque ad finem rhapsodiae leguntur, etiamsi hac quoque in parte saepe offendimus. Nam in v. 518 comparatio extat, contra Homericam consuetudinem e fabulosa rerum historia petita, praeterea inepta, quia tertium comparationis quod dicunt prorsus deest, nam perperam Scholl. ὡς ἡ τοῦ ὀρνέου φωνὴ interpretantur. Miramur Penelopen, quae cum somnium tam perspicuum et clarum, quod se ipsum quasi explicuerat, somniasset, tamen ab Ulixe quoque petit ut idem somnium aliqua coniectura explanet. Miramur somniorum portas, reliquis carminibus prorsus ignotas, ortas ut videtur e prava et puerili etymologia (κέρας-κραίνω, ἐλέφας-ἐλεφαίρομαι), denique ne coniectura quidem assequimur quid ea Penelopae verba sibi velint quae post v. 591 leguntur:

ἀλλ' οὐ γάρ πως ἔστιν ἀύπνους ἔμμεναι αἰεὶ
ἀνθρώπους· ἐπὶ γάρ τοι ἑκάστῳ μοῖραν ἔθηκαν
ἀθάνατοι θνητοῖσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.

Sed in his subsistendum est. Summam vero totius disputationis ut paucis comprehendam, horum librorum compagem in octo carmina singularia dissolvendam esse censeo. Quorum primum est iter Telemachi, ο 194—300. 496—557. Secundum adventus Telemachi apud Eumaeum,

ἀναγνωρισμὸς Ὀδυσσέως ὑπὸ Τηλεμάχου, reliqua, π 1—321. 337—341. 452—481. Tertium *ἐπάνοδος Τηλεμάχου εἰς Ἰθάκην*, ρ 1—45. 107—166. Quartum *ἐπάνοδος Ὀδυσσέως*, ρ 182—407. 462—491. Quintum *Ὀδυσσέως καὶ Ἴρου πυγμή*, σ 1—157. Sextum Penelope a procis dona accipiens, σ 158—303. Octavum asperitas Eurymachi contra Ulixem, σ 303—428. Nonum denique *Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης ὁμιλία*, τ 51—106. 165—395. 467—604.

Diasceuastam agnosco in his versibus: ο 300—495. π 327—338. ρ 46—106. 167—182. 492—606. τ 1—50. Interpolatorem: π 281—298. ρ 150—165. 229—232. 286—289. 357—364. 409—461. σ 214—243 (?). τ 107—163. 394—465.

COMMENTATIO QUARTA.

DE VOCABULIS NOVIS ET *ΑΠΑΞ ΕΙΡΗΜΕΝΟΙΣ* IN POSTREMIS ODYSSEAE LIBRIS USURPATIS.

Cum in novissima commentatione de argumento posteriorum Odysseae rhapsodiarum disputaverim, quarum compagem in singularia carmina dissolvere conatus sum, ut quid seorsim olim extitisset, quid novi ab eo qui dispersa et singula in unum redegit esset additum, quid denique a rhapsodorum scholis esset interpolatum, ex mea sententia intellegeretur: non dubito multos fore lectores eosque benivolos, qui mirentur quid sit quod ego e rerum tantummodo discrepantiis argumenta mea petiverim, grammaticam contra et dictionem quandoquidem minus Homerica videretur prorsus neglexerim. Etenim multi sunt qui his demum disquisitionibus aliquam tribuant auctoritatem, contra illas ad quas ego potissimum provocavi, levidenses esse censeant, saltem fallaces et nimis arbitrarias. Quibus tamen responsum velim Lachmanni verbis quae in praefatione eius libri leguntur quem nuperrime Friedlaenderus Regiomontanus de quaestione Homerica scripsit. Sunt autem petita haec verba ex litteris quibusdam a Lachmanno ad Lehrsium V. Cl. olim missis, dignissima certe quae hunc in locum integra transferantur: 'die kleinen beobachtungen sind verfuehrerisch. — wenn ἠΰτε πέτρη und was ihm gleich ist 18 mahl in der Ilias vorkommt, so sind doch gewiss auch ganze buecher in denen es gar nicht steht: auch koennen die 18 der Ilias und die 2 der Odyssee eben so gut von zwanzig verschiedenen dichtern, oder von 10 oder von 5 sein, als von einem. bei der beobachtung bloss Ilias und Odyssee entgegenzustellen genuegt also nicht, sondern ihre einzelnen theile. Auch giebt es bei solchen einzelnheiten ueberall wunderbaren zufall. Ich habe einmahl an meinem lateinschreiben entdeckt dass ich jahrelang nicht quippe geschrieben hatte. Schleiermacher hatte sich einmahl eben angewoehnt: es ward ihm gesagt und kam dann in dem ganzen halbjahre seiner vorlesungen nicht ein einziges mahl vor. Von den groessern eigenthuemlichkeiten des stils auszugehen scheint mir besser als von

den woertern. aber immer so dass die zwischenraeume zu beachten sind, in denen nun das observirte nicht vorkommt.' *)

Hactenus Lachmannus. Ac stilum quidem horum Odysseae librorum, universum dico dictionis colorem, in praecedente tetigi commentatione, etsi brevius interdum ex instituti ratione. Singulares autem observationes coniunctas proponere malui, primum perspicuitatis caussa, dein quia multa, per se quidem verissime observata, si in longo commentario dispersa leguntur, saepe fugiunt lectorem et negleguntur ab eo, omnino incerta videntur et parum probabilia, contra veritatis speciem vel maximam induunt, si uno ordine procedunt. Ac nisi de via convenerit ac ratione, quam methodum dicimus, in his quaestionibus sequenda, omnis disputatio vana erit et incerta fluctuabitur, tamquam aedificium arenae impositum, neque firmis superstructum fundamentis. Iam vero cum neminem fugiat maximam esse in posterioribus Odysseae libris eorum vocabulorum copiam, quae aut uni alterive rhapsodiae communia sint, aut unius tantum loci propria, aut nova, aut ἅπαξ εἰρημένα: et cum nostra potissimum aetate ex usu et frequentia horum vocabulorum haud parva saepenumero momenta deprompta sint ad demonstrandam recentiorem horum carminum originem: non inutile visum est, hanc rem accuratius paullulum pertractare eamque iterato subicere examini.

Sed audio adversarium alta voce clamantem, nonne in antiquissimis quoque rhapsodiis, quas nemo in suspicionem vocabit, ἅπαξ εἰρημένα inveniuntur, nonne apud omnes omnino scriptores tam haec quam vocabula nova? Itaque quid e solo ἅπαξ εἰρημένων recensu de recentiore rhapsodiarum aetate confici potest? E solo recensu fere nihil. Concedo. Et ne frequentiae quidem talium vocabulorum hoc illove loco notabili, magnam tribuo auctoritatem, quippe quae casui possit imputari. Nam si hanc solam spectamus, si numerorum tantum rationes sequimur, extra omnem dubitationem positum est, posteriores rhapsodias in elocutione mirum quantum ab antiquis differre. Etenim in his frequentior est abstractorum numerus, quae dicuntur: frequentius inveniuntur verba cum praepositionibus coniuncta: frequentius denique ἅπαξ εἰρημένα. Sed quid inde contra eos evinci potest, qui omnem operam in monstranda argumenti continuitate et in uno servando auctore collocandam esse censent, contra homines praeiudicata opinione aliquantum deceptos?

*) In ipso Friedlaenderi libro, die homerische kritik von Wolf bis Grote, Berol. 1853 p. VII l. l. haec praecedunt: 'in dem folgenden briefe werden allgemeine grundfragen der kritik eroertert. Lachmann hielt es fuer misslich irgend eine ansicht ueber die entstehung der homerischen gedichte auf beobachtungen ueber einzelnheiten des sprachgebrauchs zu begruenden.'

Itaque certum est ἅπαξ εἰρημένα et nova vocabula, nisi aliis illustrata rationibus, parum valere in diiudicanda quaestione, quid spurium sit in Homeri carminibus, quid genuinum. Facile tamen hae rationes possunt inveniri. Primum enim in hoc antiquissimo litterarum Graecarum monumento de etymo uniuscuiusque vocabuli vel novi vel ἅπαξ εἰρημένου quaerendum est. Etymon dico non stirpem sive radicem in originatione vocabulorum lexicographis spectandam, sed eam formam, quae in derivatis vocabulis e legibus grammaticis requiritur, unde derivari potuerint. Velut in adiectivis in ιος exeuntibus semper nomina requiruntur maximamque partem primitiva a quibus derivari solent, vel in nominibus abstractis quae in ια desinunt, pro veris etymis adiectiva in ος habenda sunt. Etymo autem spectato tota novorum vocabulorum copia in tres ordines dividi potest. Aut enim etyma eorum adsunt, idque aut in genuinis carminibus, aut in spuriis quae argumento et compositione novam originem manifesto prae se ferunt, aut omnino desunt. Atqui apertum est singula vocabula prout uni alterive ordini adscribenda sint, diversissimam praebere offensionem. Nam in iis vocabulis quorum etyma Homerica non sunt magis unusquisque offendet, quam in reliquis quae ab etymis Homericis recte formata sunt, magis etiam in iis quorum etyma in recentioribus tantum vel interpolatis partibus extant.

Iam vero in hoc disputationis puncto nondum est consistendum. Nam quoniam multa ἅπαξ εἰρημένα ita natura sua comparata esse possunt, ut raro tantum usurpentur, iterum hoc quoque casui tribui possit, quod etyma eorum aliis in locis non inveniuntur. Huc autem ea spectant vocabula, quae proprie vocabula artis sunt, nomina animalium, plantarum, omnia omnino quae iusta rerum commemorandarum novitate excusantur. Itaque in singulis quaerendum est vocabulis, num hanc veniam sibi vindicent, quia tum fere nihil est, quod in iis iure reprehendatur, vel cur antiquitas eorum in dubium vocari possit. Sed quid reliqua faciemus vocabula, quae nulla rei novitate excusantur? In quibus paene desperandum esset de recto iudicio nisi natura et ingenium dictionis epicae nobis aliquotiens subveniret, quam ita comparatam esse constat, ut summa quadam usus constantia et tenacitate idem elocutionis color in singulis quoque vocabulis, quantum fieri possit servetur, atque hoc pro summa eius lege habendum sit, in iterato rerum argumento iterata quoque vocabula vocabulorumque formulas fere semper inveniri, id quod in Homero Hesiodove unicuique licet observare. In omnibus igitur ἅπαξ εἰρημένοις et novis vocabulis quae novitate rei non excusantur, hoc porro quaerendum est, num notio ipsorum et significatus in genuinis Homericorum carminum partibus constanter per alia vocabula exprimatur. Et cum in iis vocabulis, de quibus hoc recte observatum

fuerit, summo quoque iure unusquisque offendat, ea recentiore aetate in societatem vocabulorum Homericorum irrepsisse statuemus. Sed multa etiam supererunt vocabula, quae ne hac quidem ratione in dubium vocari poterunt, de quorum auctoritate nihil certi confirmari potest, nisi quae aliae caussae accesserint, quibus nova suspicio de recente eorum origine moveatur. Peti possunt e quaestione de legitima vocabuli formatione et ex minutis observationibus quae structuram spectant et usum Homericum. Deinde e quaestione de usu vocabulorum apud recentiores scriptores, Hesiodum dico, hymnorum auctores, poetas melicos si quid ex minutissimis eorum fragmentis colligendum est, Pindarum praeterea et poetas Atticos. Atque haud pauca inveniuntur vocabula, quae in gravissimam recentioris originis suspicionem eam ob caussam incidunt, quod posterioribus demum scriptoribus usu veniunt.

Haec autem omnia de quibus exposui momenta si in unoquoque vocabulo expenduntur et ponderantur, plura et certiora effectum iri spero, quam sola vocabulorum spectata multitudine. Ceterum haec fere habui, quae prooemii loco meo libello praemitterem. In sequentibus vix credo unum alterumve *ἅπαξ εἰρημένον* me fugisse. Sed nova vocabula multa de industria omisi, quotiens in iis quoque Homericorum carminum partibus legebantur, de quarum recentiore origine mota quidem sed nondum diiudicata est quaestio. Ex earum vero numero sex ultimas Iliadis rhapsodias, magnam praeterea libri octavi partem, decimam integram nec non undecimam Odysseae rhapsodiam excepi, quoniam de his post egregias Lachmanni, Hermanni, Laueri curas omnis disputatio confecta est.

CAPUT PRIMUM.

Initium fiat ab iis vocabulis quorum etyma non inveniuntur apud Homerum, quo loco primum ea recenseam, quae rei commemorandae aliqua novitate excusantur. Quibus si brevitatis caussa nonnulla quoque substantiva primitiva inseruntur, de quibus proprie quidem singulari quodam ordine disputandum esset, haec habeo quae afferam: *ἀηδών* τ 518. χ 468. *χελιδών* φ 411. χ 240. *κήξ* ο 478. *πρόξ* ρ 295. *ἄζη* χ 184. *βῶλος* σ 373. *βάτος* ω 229. *γωρυτός* φ 54, vagina in qua arcus conditur, quam Attici *ἐλυτρόν* vocant: scholia perperam *καὶ ἔστι γωρυτὸς παρὰ τὸ ἀορεῖν* (?) *τὸν ῥυτόν*. — *δίκτυον* χ 386, derivandum a *δικεῖν, βάλλειν* Hes. unde etiam *δίσκος* provenit. — *κόλλοψ* ρ 222. non est verticillum quo chordae intenduntur et remittuntur, sed iugum, der steg, quod recentiores *κόλλαβος* vocant. Homericum est *κολλάω* conglutino,

unde *κόλλοψ* derivatum esse volunt, ut proprie nervos et durum corium circa colla boum significet e quo tam chordae quam gluten praeparari possunt. — *κορμός ψ* 196. *λαύρη χ* 128. 137. *λίστρον χ* 455, a *λίζω* stringo, distringo: est instrumentum ferreum quod stringendo ac radendo solum purgat. — *πείρινθα ο* 131. *Ω* 190. 267, cuius genetivum exhibet Apoll. Rhod. V, 873. *τὰ ἐπὶ τῆς ἁμάξης εἰς ἃ ἐντίθεται τὰ πρὸς τὴν χρείαν ἕνεκα τοῦ πλείω χωρεῖν* Apoll. Lex. Itaque differre videtur a *δίφρῳ*. — *στέαρ φ* 178. 183. — *φλιά ρ* 221, postis. Tamen alii de ipso *προθύρῳ* cogitaverunt. cf. A. Gell. N. Att. XVI, 5. — *χορδή ρ* 407. hymn. Merc. 51. Praeterea *βύβλινος ρ* 391. Sic *φήγινος, λάινος, ξύλινος, κυπαρίσσινος* apud Homerum. Sed byblum poeta non commemoravit. — *πταίρω ρ* 541, sternuo. *ἐπιπταίρω ρ* 548, sternuendo probo.

Paullo magis offensioni sunt alia quaedam vocabula, quorum recentiorem originem ipsa eorum notio arguit ac natura, velut: *ἄριστον π* 2. *Ω* 124, ientaculum, prandium, quod prima luce sumitur. Est ab *ἦρι* et *ἐστόν*, cf. Benfei Lex. etym. II, 334. Itaque *α* contra etymologiam Homerus corripuit. — *λύχνος τ* 34, lucerna. Cohaeret cum *ΛΥΚ-ος* (lux), *λυκάβας, ἀμφιλύκη, λευκός* et similibus. — *γραῦς καμινώ* 627, anus quae fornacem curat. Sed fornacis usum Homero tribuere non possumus. — *θρηνέω ω* 61. *θρῆνος* extat in *Ω* 721. hymn. XVIII, 18. Haec autem vocabula esse barbara, omnino lessi morem recentiore demum aetate a Caribus ad Graecos migrasse, fusius exposuerunt grammatici veteres. cf. Spohn. de extr. part. p. 35. Fortasse duo praeterea vocabula addenda sunt, quamquam ipse per rei novitatem vix ea excusem: *κνυζηθμός π* 663, de sono canium territorum. *κνυζόω ν* 401. 433 est foedare, turbare. *κνυζέω* vel *κνυζάω* apud Homerum non extat, qui de canium ululatu *ὑλᾶν* dixit, unde *ὑλακόμωρος*. Praeterea *κορέω υ* 149, de quo infra disputabitur s. v. *σηκοκόρος*. *κόρος*, scopa non est Homericum vocabulum.

Secundo loco de iis disputandum est vocabulis quae nulla quam dixi rei novitate excusantur, multo maiorem igitur novae originis suspicionem necessario movent. Ac primum quidem substantiva procedant, quorum vero antiquitatem, quia maximam partem aliquam glossam redolent, nolo disertis verbis in dubium vocare, velut: *Αἱμασιά σ* 358. *ω* 223 quo vocabulo omnia significantur quaecunque conficiendo septo inserviunt, cf. Buttm. Lexil. II, 90. Benfei Lex. etym. I, 426. — *Ἄκολος ρ* 222, frustulum. Derivatur grammaticis a *κόλον*, vocabulo nulli scriptori usitato, quod tamen cibum notare voluerunt grammatici, cf. Athen. VI p. 262 a. *κόλος* legitur in *Π* 117 notatque rem mutilam, decurtatam. — *Θαλλός ρ* 224: *θαλλόν τ' ἐρίφοισι φορῆναι*, hoedis frondes virides afferre. De ramo supplicum imprimis frequens apud Atticos scriptores. — *Θόλος χ* 442.

459. 466. Eustathius, *οἴκημα κυκλοτερές*, inquit, *εἰς ὃ τὰ καθ' ἑκάστην χρήσιμα τῶν σκευῶν ἐτίθετο, οἷον πίνακες, κρατῆρες, ἐκπώματα.* ein gewoelbe, Benfei Lex. etym. II. 279. absurda est antiqua etymologia a *θέειν* et *ὅλον*, quasi *περιθεόμενον*. de *θόλῳ* Atheniensium satis constat. — *Ἴσθμιον* σ 300, ornatus circa collum. scholl.: *ἰσθμὸς ὁ τράχηλος* (sed non apud Homerum). *ἴσθμιον οὖν περιτραχήλιον κόσμον περιπεπλεγμένον, οὐ μέντοι κοσμήματά τινα ἐκκρεμαμένα*, et deinceps: *διάφορον δὲ τῷ ὅρμῳ* (Σ 401. ο 460. σ 295. v. infra). *τὸ μὲν γὰρ προσέρχεται τῷ τραχήλῳ. ὁ δὲ ὅρμος κεχάλασται.* — *Κνώδαλον* ρ 317, fera bestia. sic Hes. Theog. 582. sed hymn. Merc. 188 pro *κνώδαλον εὗρε γέροντα* legendum est cum Hermanno *κώχαλον*. — *Ῥώξ* χ 143. scholl.: *ῥῶγας, μεγάροιο ῥήγματα, θυρίδας. ἢ τὰς τῆς οἰκίας ὑπερώας διόδους.* sine dubio angusti conclavium aditus ita vocantur.

Maior est adiectivorum numerus: *Ἄναλτος* epitheton ventris in ρ 228. σ 364, mendici vero in σ 113: *ὃς τοῦτον ἄναλτον ἀλητεύειν ἀπέπαυσας*. de etymologia vocabuli dubitatur. Eustath.: *γαστέρα ἄναλτον· τὴν ἀπλήρωτον καὶ ἀκόρεστον. ἢ ἀεὶ ἐν ταπεινώσει οὖσα, καὶ μὴ ἀλθαινομένη* i. e. *αὐξομένη ἐν τῷ κορέννυσθαι*, i. q. recte a Dammio additum est in Lex. Hom. p. 464. Tum vero derivandum esset a verbo *ἄλθω*, alendi notione, quam apud Homerum *ἀλδέω* tantum et *ἀλδαίνω* habent. ventriculum alias poeta *στυγερήν* appellavit, *οὐλομένην, κακοεργόν, λυγρήν.* — *Ἁπλοΐς* v. infra s. v. *ἀλετρίς*. — *Ἀπόθεστος* ρ 296. spretus, contemtus. derivandum a *θέσσομαι*, Buttm. Lexil. II, p. 111, quod apud Hesiodum primum extat in frgm. 23. — *Ἄρθμιος* π 427: *οἱ δ' ἡμῖν ἄρθμιοι ἦσαν*, amicitia nobis coniuncti erant. *ἀρθμός*, ab *ἄρω*, coniunctio, amicitia, in hymn. Merc. 524 et apud Aeschylum legitur. — *Ἀσφοδελὸς λειμών* λ 538. 572. ω 13, hymn. Merc. 221. vulgo explicatur per pratum, in quo asphodelus crescit. Sed *ἀσφόδελος*, planta quaedam liliacea, tuberosa, cf. Benfei Lex. etym. I, 558, primum ab Hesiodo commemoratur, Opp. 41: *οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ*, neque pro etymo illius adiectivi haberi potest, quoniam adiectiva non ita possunt a substantivis formari, ut accentus tantum mutetur, nam *πότος, ποτός, ποτόν* et si quae similia sunt, huc non pertinent. Ceterum de accentu adiectivi non consentiunt grammatici, v. Tryphonem apud Eustath. in λ 539. Itaque secundum hanc etymologiam expectamus *ἀσφοδελινός, ἀσφοδελόεις, ἀσφοδελώδης.* Contra alii grammatici derivarunt vocabulum a *σποδός*, cinere mortuorum, quam etymologiam vir doctus quidam fortasse recte ita amplexus est, ut *ἀσφοδελὸν λειμῶνα* per pratum interpretatus sit, pulvere minime coopertum. Nam *σποδόν* non solum cinerem, sed etiam pulverem notare, evicit ex Anth. Pal. VI, 291. VII, 455. App. 27. — *Ἀτέραμνος* ψ 167: *κὴρ ἀτέραμνον.* Scholl. *μὴ τέρεν,*

ἀλλ' ἀπεσκληρωμένον. neque τεράμων, neque τέρην apud Homerum extat. Pylaemenis et Patrocli cor durum, virile tamen et prudens λάσιον vocatur. — Ἄτριπτος φ 151: πρὶν γὰρ κάμε χεῖρας ἀνέλκων, ἀτρίπτους, ἁπαλάς. proprie usu non tritas: adiectivum τριπτός ab Homero alienum est. — Ἀυσταλέος τ 327, unde ad poetas Alexandrinos et Oppianum fluxit, est aridus, sordidus, quod Hesiodus per αὐαλέος expressit. De etymo vocabuli non liquet. nam ab αὔω, cui cognatum videtur, tamen derivari non potest. Idem valet de ἰσχαλέος, τ 53. Eustath.: τοῦτο δέ φασι, πρὸς τὸ ἔντονον ἐρρέθη τοῦ χιτῶνος, corium cepae dicit, καὶ ἰσχνόν, ὁ γὰρ χλωρὸς λοπὸς οὐκ εὐτόνως ἔχεν et paullo post: καὶ ὅτι πρωτότυπον τοῦ ὕστερον ἰσχναλέου, τὸ Ὁμηρικὸν ἰσχαλέον ἀπὸ τοῦ ἴσχω γενόμενον, ἐξ οὗ καὶ ἰσχὰς τὸ ἰσχνὸν σῦκον. neque ἰσχάς, neque ἰσχνόν Homericum est. — Δασπλῆτις ο 234: θεὰ δασπλῆτις Ἐρινύς. sic Orph. Argon. 867. apud Theocritum cognomen Ἑκάτης est. Antiquam glossam δασπλής primus quod sciam Euphorio revocavit frgm. 52 Mein. De etymologia vocabuli dubitant interpretes, quorum aliis derivandum videtur a particula δα i. e. ζα, διά (δάσκιος) et πελάζω, ut sit vehementer accedens, quod bene quidem in δασπλής cadit, non vero in δασπλῆτις, quia adiectiva in τις exeuntia plerumque a nominibus tantum formantur in της, velut ἄκοιτις ab ἀκοίτης, χερνῆτις a χερνήτης. alii cogitarunt de δα et πλήσσω, inserto σ ob euphoniam, et significare volunt vocabulum vehementer percutiens. sed ex his radicibus nihil provenire potuit, nisi δαπληκτής, quemadmodum θωρηκτής a θωρήσσω. Tertiis denique compositum videtur e δαΐς et πελάζω, quae derivatio vel maiore difficultate impedita est. Recentiorum optime mihi satisfecit Benfeius in Lex. etym. II p. 220, cui significat terribilis, valde iratus. — Εμπαιος (correpta penultima υ 379, producta φ 400) ἔργων, κακῶν, peritus, quod alias dicitur ἔργα εἰδώς. Vocabulum cohaerere videtur cum ἐμπάζομαι, sed de vera eius etymologia non liquet. Apud Aesch. Agam. 180. ἔμπαιαι τύχαι sunt casus adversi, subito ictu irruentes, itemque apud Soph. El. 890: ἐμπαίει τί μοι ψυχῇ σύνηθες ὄμμα, species animo obversari solita se obtulit, in animum mihi incidit. Sed verbum παίω Homerus non habet, neque hanc adiectivi ἔμπαιος notionem. — Ἐπιδίφριος ο 51. 75: εἰς ὅ κε δῶρα φέρων ἐπιδίφρια θείῃ vel θείω. Pro etymo huius adiectivi habendum est substantivum ἐπιδίφρος, quod cum Graecum non sit (ἐπιδιφριάς Κ 475), suspicor huic quoque adiectivo mirae illius formationis exemplum subesse, quam reprehendimus in ἐπιήρανος, τ 343: οὐδέ τί μοι ποδάνιπτρα ποδῶν ἐπιήρανα θυμῷ γίγνεται. Notio vocabuli aperta, formatio prorsus mira et singularis, nam Homerus dicit ἦρα φέρειν ἐπί τινι vel ἐπὶ ἦρα φέρειν τινὶ, cf. Buttm. Lexil. I p. 149. Etiamsi concedimus iam Homeri aetate ἐπὶ ἦρα

pro uno adverbio ἐπιῆρα haberi potuisse, tamen non ἐπιήρανος vel ἐπιηρανός, sed ἐπιηράδιος inde formari debebat, quemadmodum μινυνθάδιος a μίνυνθα, κρυπτάδιος a κρύφα. Nam adiectiva in ανος etiam apud Homerum plerumque verbalia sunt, velut ἄγανος a γάω, ἑδανός ab ἥδω, ὀρφανός orbus ab ἐρέφω, ῥοδανός a ῥέω, ῥιγεδανός a ῥιγέω, σφεδανός a σπεύδω. Pauca tantum eaque dubiae notae derivantur a substantivis, ἠπεδανός, ἐπηετανός, πευκεδανός, nulla ab adverbiis. — Ἐπίμαστος υ 377: ἐπίμαστον ἀλήτην. cf. ἀπροτίμαστος in Τ 263, quod vulgo per intactum redditur. Eustathius, ἐπίμαστος, inquit, ὁ ἐπαίτης ὡς τροφὴν μαστεύων, ὅ ἐστιν ἐπιζητῶν. De etymologia non liquet. Nam a μάομαι vel ἐπιμάομαι, attrectare, contingere, tangendo inquirere ad analogiam vocabulorum αὐτόματος, μάταιος, expectatur ἐπίματος. Significaret autem non appetens aliquid, sed potius quaesitus, desideratus. De μάσσω (ἀναμάξεις τ 92) cogitari non potest. μαστεύω denique apud Pindarum demum invenitur. — Ἐπίσπαστος. in σ 73. ω 462 ἐπίσπαστον κακόν vocatur malum, quod aliquis sibi ipse contraxit. Derivandum est vocabulum ab ἐπισπάζομαι, velut ἀσπαστός (ἀσπάσιος) ab ἀσπάζομαι. Sed apud Homerum nihil extat nisi σπάω, nam ἐκσπάω ubique per tmesin scribendum videtur. Malum paratum, excitatum, non a natura ortum in Iliade est τυκτὸν κακόν et sic vocatur Mars in Ε 831. — Μάργος. in π 421 et ψ 11 (sic ἄνδρες μάργοι Pind. Ol. II, 106) notat hominem vesanum, cf. Benfei Lex. etym. I, p. 507. Verbum μαργαίνω, atticum est μαργόω, derivatum a μάργος legitur in Ε 882, sed haec ipsa Iliadis particula iam dudum graviorem interpolationis suspicionem movit. Praeterea μάργος extat in σ 2: γαστέρι μάργῃ, de alveo dictum, ubi Eustath.: ὅτι τὸ μεταπρέπειν ἐπὶ γαστέρι μάργῃ, ἀστείως ἐρρέθη ἀντὶ τοῦ ἐκπρεπὴς ἦν ἐπὶ γαστριμαργίᾳ εἴτουν ἀπληστίᾳ. τοῦτο γὰρ ἡ μάργη γαστήρ, διαλελυμένως ῥηθεῖσα ὁμοίως τῷ πόλις ἄκρη καὶ τοῖς ὁμοίοις. Sed quomodo tam diversae notiones eidem vocabulo subesse possint, nisi e diversissimis fontibus derivetur, parum intellego. — Πολυπαίπαλος, versutus, vafer, nostrum gerieben, abgefeimt. Φοίνικες πολυπαίπαλοι, ο 418. Vocabulum παιπάλη Homero deest. παλή est tenuis farina, pollen, flos farinae. παιπαλόεις autem derivandum ab αἰπός, αἰπύς. — Προμνηστῖνος, alius ante alium. λ 233 de feminis quae ex orco surgunt αἱ δὲ προμνηστῖναι ἐπήισαν. φ 230: ἀλλὰ προμνηστῖνοι ἐσέλθετε μηδ' ἅμα πάντες, πρῶτος ἐγώ, μετὰ δ' ὔμμες. sic ἀγχιστῖνος Ε 141, cf. Lobeck. in Buttm. gramm. II p. 429. Scholia quibuscum consentit Eustathius: ἔστι κατὰ τὸ ἔτυμον προμενέστιναι, ἀπὸ τοῦ προσμένειν, hoc verbum Homericum non est, τὴν ἑτέραν. Vereor num recte. Nam provenit a praepositione πρό et cognatum est cum πρυμνός, pronus. Sic etiam Benfeius statuit Lex.

etym. II p. 37. — *Σαρδάνιος.* *υ* 302 *σαρδάνιον γελᾶν* is dicitur, qui risum edit ore, sed intus valde aestuat. Derivandum sine dubio cum Passovio a *σαίρω,* frico dentes, rideo iocose, cf. Jacobs. in Philostr. imagg. p. 381, quod primum legitur apud Hesiodum. Nam altera etymologia ab herba quadam Sardica peregrinis imprimis letifera eo ineptior est, quia Sardiniam insulam iam Homero notam fuisse, contendi non potest. Talem risum *σαρδάνιος* Juno edit, de qua in *O* 101 haec sunt verba: *ἡ δ' ἐγέλασσε χείλεσιν οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσιν ἰάνθη.* Exempla huius locutionis congessit Fabricius in Bibl. Gr. Harl. I p. 276. — *Τετραθέλυμνος* *χ* 122, iteratum ex interpolatis versibus, qui *O* 478 sequuntur. *σάκος τετραθέλυμνον, ὅ ἐστι τετράθετον, τετράπτυχον.* Igitur clipeus e quatuor plicis, vel boum coriis compositus, quem *τετραβόειον* vocavit poeta. Nam *θέλυμνον, στοιχεῖον,* vocabulum quod bis in Empedocleis legitur, Homero alienum est. Sane habet adiectivum *προθελυμνός,* sed de eius etymologia dubitatur. Non tamen displicet Gepperti sententia qui de orig. carm. Homer. II p. 75 vocabulum derivatum esse statuit a *πρὸ* et *ἑλεῖν,* inserto *ν* sicut in *νώνυμνος, ἀτέραμνος, ἀπάλαμνος* et *θ* quemadmodum in *ἴφθιμος* ab *ἶφι, χθαμαλός* a *χαμαί, μαλθακός* pro *μαλακός,* nisi quis de *προτί* et *ἑλεῖν* cogitare malit, ut sit depromtus, arreptus. — *Ψολόεις* *ψ* 330, *ω* 539. Hymn. Ven. 289. Hes. Theog. 515. Scut. 442 rell., epitheton fulminis. *ψόλος* Homero alienum est, quamquam fulmen sexcenties commemoravit.

Fortasse huc etiam *περιρρηδής* referendum est *χ* 84: *περιρρηδὴς δὲ τραπέζῃ κάππεσε δινηθείς,* ubi Eustath: *περιρρηδής,* inquit, *ὁ ἐρραντισμένος αἵματι, ὡς ἀπὸ τοῦ ῥάζω, οὗ δεύτερος ἀόριστος ἔρραδον. ὅθεν ὁ περριρηδής. εὕρηται δὲ καὶ ἀμφιρρηδὴς ἐν ῥητορικῷ λεξικῷ καθ' ὁμοιότητα τούτου λεχθέν.* Alii alias proposuerunt etymologias, i. q. e scholiis apparet, quorum Harleiana vocabulum interpretantur per *περικλιθής,* vulgata per *περικλασθεὶς ἢ περιραγεὶς ἢ περιρευόμενος ἢ περιρρυεὶς ἢ περιφερής.* Penultimam etymologiam etiam recentiores lexicographi probaverunt. Sed neque *περιρρέω,* neque *περιρράζω* Homerica sunt.

Praeterea verba afferenda sunt haud pauca: *Ἀλδαίνω,* corroboro, alo, crescere facio, *σ* 70. *ω* 386. *ληίου ἀλδήσκοντος* *Ψ* 594. saepius apud Aeschylum invenitur. Pro etymo huius verbi vulgo habetur *ἄλθω,* quod crescendi notione extat apud Quintum IX 475, cognatum cum Homerico *ἄλθω,* sano, cf. supra s. v. *ἄναλτος.* — *Ἀμφιλαχαίνω* *ω* 242. Simplex *λαχαίνω* apud Moschum demum invenitur et Apollonium. Usurpavit autem Homerus adiectivum *λάχεια* de insula et litore, cf. Nitzsch in Hom. Odyss. *ι* 116. *ἀμφιλαχαίνειν* significat solum fodiendo scabrosum vel potius asprum reddere. — *Εἴρω,* unde *ἔερτο* et *ἐερμένος* de monili dictum, ornato electro, *ο* 460. *σ* 295. Praesens *εἴρω,* annecto, apud Pindarum legitur,

Nem. V, 77 εἴρειν στεφάνους. Vocabulum ὅρμος, Σ 401. ο 460. σ 295. Hymn. Apoll. 103. h. Ven. 88. 164. Hes. opp. 74, in antiquis carminibus non invenitur. ὁρμαθός in ω 8 tantum extat, cf. Spohn. de extr. part. p. 162. — Ἐμπολάομαι, ο 456: βίοτον πολὺν ἐμπολόωντο, copiosum victum mercando sibi comparaverunt. Etymon huius verbi, quo nihil apud tragicos frequentius cf. Lobeck. in Aiac. 957. Ellendt. Lex. Soph. I, p, 598, ab Homericis carminibus abest. — Ἐπιλλίζω, oculis innuo, σ 11. vocabula ἴλλος, ἰλλὸς non sunt Homerica. cf. hymn. Merc. 387. — Ἑψιάομαι, ρ 530: οὗτοι δ' ἠὲ θύρῃσι καθήμενοι ἑψιαάσθων. φ 429: ἑψιάασθαι μολπῇ καὶ φόρμιγγι. Quia ἑψία quod ab Hesychio explicatur per ὁμιλία, non apud Homerum, sed apud Sophoclem demum invenitur, grammatici diversas huius verbi etymologias excogitaverunt, quorum aliis derivandum videtur a ψιά ut sit parvis lapidibus luere, aliis ab ἔπος ut sit ὁμιλεῖν, aliis denique, nescio qua ratione ab ἕπομαι. Mihi hac de re non liquet. — Νάσσω φ 122: ἀμφὶ δὲ γαῖαν ἔναξε, circa autem terram condensavit, ubi scholia addunt ἢ πατήσας ἢ χερσὶ συμπιλήσας. Cognatum est huic verbo alterum τινάσσω. grammatici autem huc rettulerunt vocabulum λάρναξ, quod in Σ 413 et Ω 795 legitur. — Ὑλᾶν, raucum in modum latrare π 5. 9. 162. υ 15. — Ὑπερικταίνομαι, gressus accelero, ψ 3. Simplex ἰκταίνομαι non extat et ἴκτας unde vulgo derivatur hoc verbum, Hesiodeum est, Theog. 691.

Tertio loco iam ad ea pergendum est vocabula, quorum notio in genuinis Homericis carminibus semper aliis subest vocibus. Atque haec secundum ea quae supra exposui, maximam novae originis suspicionem moverent, nisi admodum difficile esset, suo semper iure singula vocabula huic inserere ordini. Etenim e verbis proprie quidem huc tantum spectant: πτοιέω, percello, consterno aliquem, χ 298: τῶν δὲ φρένες ἐπτοίηθεν. cf. Archil. v. 30 Lieb.: πτοιήσεις τὰς ἀγέλας. Vocabulum scriptoribus Atticis imprimis usitatum. Sed πτοίη, πτόα, unde derivandum est, apud Homerum non legitur. Immo aliis in locis φόβος vel ἄχος φρένας τινὸς αἱρεῖν, τύπτειν, πάλλειν, πατάσσειν dicitur. — Αὐχμέω ω 249. cf. Spohn de extr. part. p. 177. αὐχμός, αὐχμηρός cum cognatis vocabula sunt Attica. Homericum est ῥυπάω, ῥυπόω. — Ἰδίω υ 204. ἶδος primum apud Hesiodum est, Scut. 397. Homericum est ἱδρόω. — Λάω τ 229. 230: ὡς οἱ χρύσεοι ὄντες ὁ μὲν λάε νεβρὸν ἀπάγχων. Explicabatur ab Aristarcho per ἀπέλαυε, ἤσθιε. Sed quia in hymn. Merc. 360 αἰετὸς ὀξὺ λάων vocatur, Photii fortasse et Hesychii partes in interpretando vocabulo suscipiendae sunt, quorum alter λάων per δεδορκώς, alter λάετε per σκοπεῖτε, βλέπετε interpretatur. Ceterum hoc verbum primitivum videtur esse et antiquitatem valde redolet, quapropter de recentiore eius origine nihil contendo. —

Ἐποπτεύω π 140. *διοπτεύω* legitur in *K* 451, in interpolata sine dubio Iliadis parte. Homerus habet *ἐπιόπτομαι, εἰσόπτομαι, ἐπιόσσομαι* vel *ἐφοράω*. Simplex *ὀπτεύω* legitur apud Aristophanem. — *Ἐλεφαίρομαι* τ 565 usurpatum de vanis insomniis, *οἵ ῥ' ἐλεφαίρονται, ἔπε' ἀκράαντα φέροντες*. Nihil aliud est quam *ἐξαπατῆσαι* decipere. Sic in *Ψ* 388: *οὐδ' ἄρ' Ἀθηναίην ἐλεφηράμενος λάθ' Ἀπόλλων*. Contra apud Hesiod. Theog. 330, ubi de leone Nemeo sermo est, *ἔνθ' ἄρ ὅγ' οἰκείων ἐλεφαίρετο φῦλ' ἀνθρώπων*, vertendum videtur per *ἔβλαπτε*, violavit, vexavit. De recta huius vocabuli etymologia desperandum est. Nam verba in *αίρω* et *είρω* exeuntia plerumque a nominibus derivantur, quorum terminationi inest ρ littera, velut *ἐχθαίρω* ab *ἐχθρός*, *γαργαίρω* a *γαργαρός*, *γεραίρω* a *γεραρός*. Sed etiam alia ratione a nominibus et verbis formata sunt, quemadmodum *ἐναίρω* quod cum *ἔνω*, *φένω*, *μεγαίρω* quod cum *μέγα, μέγαρον* cohaeret aliaque. Itaque primo quidem adspectu nihil obstat, quominus cum plerisque grammaticis *ἐλεφαίρομαι* ab *ἔλπω* ortum esse censeamus, nisi significatione vocabuli plane contraria aliam quaerere originem cogeremus. Etiam alia caussa in eo posita est, quod nulla litterae aeolicae vestigia in hoc verbo inveniuntur, quamquam hoc nolo magni facere in vocabulo tam raro. Sed cum terminationi verborum *αίρω* vis negativa sive privativa minime insit, qua tandem ratione *ἐλεφαίρομαι* potest significare decipio, cum *ἔλπειν* sit sperare? Quod si per iustam analogiam ex *ἐλπίδα αἱρέω*, *ἐλεφαίρομαι* vel simile quidquam formari posset, certe hanc veram verbi originem libenter unusquisque amplecteretur. Benfeius Lex. etym. I, p. 48 cognatum esse censuit vocabulum cum *ὀλοφώιος*: num recte, alii diiudicent.

Praeter *γυρός* de quo infra sermo erit, unum tantum adiectivum afferre habeo, *ἄντιτος*. Invenitur vocabulum in ρ 51. 60 et *Ω* 213, nisi hic cum Bekkero legendum est: *τότ' ἂν τιτὰ ἔργα γένοιτο*. Homericum est *παλίντιτος* α 379. β 144. E substantivorum numero duo nomino vocabula: *εὐνομίη* ρ 487: *ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες*, est status hominum legibus bene temperatus. Cf. hymn. 30, 11: *εὐνομίῃσι πόλιν κατὰ κοιρανέουσιν*. Neque *εὔνομος*, neque *νόμος*, quod Hesiodeum est, unquam apud Homerum legitur. Cf. praeterea § 83:

> *οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν*
> *ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργα ἀνθρώπων.*

Ibi igitur invicem sibi opponuntur hominum *σχέτλια ἔργα*, h. e. *ὕβρις*, et *δίκη καὶ αἴσιμα ἔργα* i. e. *εὐνομίη*. — *Σφέλας* ρ 231. σ 394, *ὑποπόδιον*, scabellum. Vocabulum Homericum quod in posteriore quoque **Odysseae parte invenitur est *θρῆνυς*.**

CAPUT SECUNDUM.

Hactenus de iis vocabulis novis et ἅπαξ εἰρημένοις, quorum etyma in carminibus Homericis non inveniuntur, quae si pauca illa iusta aliqua novitate excusanda exceperis, fere omnia suspecta sunt. Deinceps, ut erat propositum, de iis vocabulis dicatur, quorum etyma apud Homerum extant, quae modo bene ab his formata sint neve in aliorum vocabulorum locum succedant, aut nullam, aut exiguam movent suspicionem. Haec quoque eodem ordine recensebo quo priora. Itaque iusta aliqua novitate excusantur: *Ἀδέψητος* υ 2. 142, usurpatum de corio nondum emollito, nondum praeparato. δεψέω legitur μ 48. 174 de cera quam Ulixes manibus liquefacit. — *Βρόχος* λ 277. χ 472, laqueus, vocabulum Atticis scriptoribus usitatum. Etiamsi verbum βρόχω, quod omnino rarum est vocabulum, apud Homerum non invenitur, tamen formae ἀναβρόξειε, καταβρόξειε et ὕδωρ ἀναβροχέν in Odysseae rhaps. λ, μ leguntur, de quibus cf. Buttm. Lexil. II, p. 121. — *Δαιτροσύναι*, π 253. — *Ἐπίβαθρον*, ο 449. ὁ ναῦλος τῆς ἐπιβάσεως. Expectaveris ad analogiam vocabulorum τὰ θρέπτρα, τὰ μέλπηθρα aliorumque hic quoque pluralem numerum. Cf. infra v. ὁδοιπόριον. — *Κοπρέω* sive κοπρίζω ρ 299. — *Κραταίπεδος* ψ 46: κραταίπεδον οὖδας, pavimentum duris lapidibus constratum, i. q. ab Euripide El. 534 et Aesch. Ag. 652 κραταίλεων πέδον appellatur. Sic δάπεδον, δειλόπεδον, ἰσόπεδον, οἰνόπεδον, ὑψίπεδος. Sed adiectiva cum κραται composita apud Homerum in genuinis carminibus non inveniuntur, nam κραταιγύαλος est in Τ 360. — *Κυπαρίσσινος* ρ 345. cf. βύβλινος p. 121. κυπάρισσος commemoratur in ε 64. Paullo magis offendimus in vocabulo δρύινος φ 43, quernus, quoniam περιφραστικῶς quod dicunt hoc adiectivum expressit Homerus, cf. ι 185:

> περὶ δ' αὐλὴ
> ὑψηλὴ δέδμητο κατωρυχέεσσι λίθοισιν
> μακρῇσίν τε πίτυσσιν ἰδὲ δρυσὶν ὑψικόμοισιν

et ξ 12:

> σταυροὺς ἔλασσε — —
> πυκνοὺς καὶ θαμέας, τὸ μέλαν δρυὸς ἀμφικεάσσας.

Λαμπτήρ, focus portatilis vel instrumentum quo faces ardentes sustinentur, cf. Dammii Lex. s. v., σ 307. 343, τ 63. Non dubito quin novitate rei hoc vocabulum excusetur, iuvabit tamen contulisse η 100 sqq. — *Λοπός* τ 233. Cortex sive tunica cepae. Est a λέπω cuius compositum

περιλέπω in *A* 236 extat. — *Λοφιά* *τ* 446, pili in cervice apri, sicuti *χαίτη* in equo et leone. — *Ὄγκιον* *φ* 61: *τὸ δεκτικὸν τῶν ὄγκων, ὅ ἐστιν ἀκίδων*, theca in qua sagittae omninoque ferramenta servantur. *ὄγκος* *Δ* 151. 214. — *Πορθμεύς* portitor, *υ* 187. *πορθμός* *δ* 671. *ο* 29. — *Στειλειή* *φ* 422, foramen in securi in quo manubrium ligneum, *στειλειόν* *ε* 236, inseritur. — *Τροπή*. *τροπαὶ ἠελίοιο*, *ο* 403. Cf. Hes. opp. 479: *ἐν ἠελίοιο τροπαῖς*. v. 564. 663: *μετὰ τροπὰς ἠελίοιο*.

Fortasse hoc in loco etiam duo adiectiva nominanda sunt, *ἥμερος* et *πολυωπός*, quamquam hoc paullo magis suspectum est. *ἥμερος*, cicur. *χῆνα ἥμερον* *ο* 161. — *Πολυωπός*, *χ* 386: *δικτύῳ πολυωπῷ*. *οὖ πολλοὶ ὀφθαλμοί*. Homerus a *μέτωπον* formavit *εὐρυμέτωπος*. *ὑπώπιον* est substantivum. *στενωπός* cum *ὤψ* vel *ὀπή* cohaerere non videtur. Adiectiva autem in *ωψ* vel *ωπις* exeuntia qualitatem oculorum indicant.

Iam sequitur in hoc ordine maximus eorum vocabulorum numerus, quorum auctoritatem, quamquam legitima novitate non excusantur, tamen nisi grammaticae accedunt rationes, in dubium vocare non possumus. Ac primum quidem huc faciunt innumera verba composita quae in posterioribus tantum Odysseae rhapsodiis leguntur. Nam cum in antiquis carminibus praepositio plerumque per tmesin sive diaeresin quam vocant a verbo seiungatur, quamquam bene scio neque composita, neque decomposita omnia ab iis aliena esse, iam in posterioribus libris res eo pervenit, ut fere semper verba componantur cum praepositionibus, et pauca tantum tmeseos inveniantur exempla. Hoc aperte observari potest in verbis *ἀπονίζω*, *ψ* 75. *K* 572, coll. *H* 425. *παράκειμαι*, *φ* 116. *χ* 65. *Ω* 476, coll. *K* 9. *ν* 424. *περίειμι*, *σ* 248. *τ* 326, coll. *A* 258. 287. *Θ* 27. *α* 66. *διαφύσσω*, *π* 110. *τ* 450, coll. *N* 507. *Ξ* 517. *P* 314. *ἐπιάλλω*, *χ* 49, coll. *β* 316. *ϑ* 443. 447. *ι* 288. *ο* 745. Tamen *ἐπιπροιάλλω* legitur in *Λ* 628.

Sed omnia enumerare composita non attinet. Reliqua vero vocabula, quorum multa propter grammaticam aliquam rationem suspecta videntur, haec sunt: *ἀδαημονίη*, *ω* 243. Sic enim legunt Eust. Scholl. Hesych. contra Apollon. Lex. p. 21 Bekk., margo cod. Harleiani exhibent *ἀδαημοσύνη*, cf. Spohn de extr. part. p. 177. *ἀδαήμων* legitur in *E* 624. *N* 811. *μ* 208. *ϱ* 283. *ἀδαημονίη* vero ab *ἀδαήμων* eadem ratione formatum est, qua *εὐδαιμονίη* ab *εὐδαίμων*. Est imperitia, ignorantia. — *Ἀεργίη*, *ω* 251. Hes. opp. 310. Atticum est *ἀργία*. *ἄεργος*, *τ* 27. *I* 320. *Ἀκομιστίη*, *φ* 284, defectus curationis vel tractationis debitae. *Ἀκόμιστος*, vocabulum Nonno imprimis usitatum, et *εὐκόμιστος*, Homerica non sunt. Benigne aliquem excipere, fovere et curare, est *κομίζεσθαι* in genuinis et *κομίζειν* in interpolatis partibus, *Ω* 541 et *ϑ* 451: *οὔτι κομιζόμενος ἐθάμιζε*. — *Ἀμμορίη* infortunium, *υ* 76: *Ζεὺς εὖ οἶδεν ἅπαντα μοῖράν τ' ἀμμορίην τε καταθνητῶν ἀνθρώπων*. *Ἄμμορος*

cum genetivo proprie apud Homerum est expers. Duobus tantum in locis Z 408 et Ω 773 notat infaustum, infelicem, κάμμορον. — Γενειάς vel γενειάδες, π 176. Observandum est substantiva feminina in ας exeuntia apud Homerum aut collectiva esse aut deminutiva. Sic νεκάς strages mortuorum, δεκάς numerus denarius, ἰλλάς vinculum ex viminibus contortum, νιφάς nix abunde decidens, χολάδες intestina, ψιάδες rores, proprie multitudo guttarum. Inter deminutiva fortasse referenda sunt λιθάς, cf. Spohn de extr. part. p. 117, et σπιλάδες saxa maritima. Neutram notionem tribuerim vocabulo γενειάς. Immo in hoc vocabulo sicut in ἐπιδιφριάς quod in interpolata quadam Iliadis parte legitur, terminatio ας indicare videtur, alicui rei aliquid esse additum vel affixum. Ceterum notandum est fuisse quosdam grammaticos qui teste Eustathio ἐθειράδες pro γενειάδες scribendum esse censerent. — Γραπτύς, vel potius γραπτῦς plurali numero, ω 229, quod eam ob caussam addo, quia substantiva in υς, quae abstracta verbalia vocantur a grammaticis, ab Homero singulari tantum numero usurpantur. De derivatione vocabuli a γράφω vide s. ἐπητύς. — Δείλη, tempus vespertinum Ψ 111, unde δείελον ἦμαρ, ρ 606. Derivandum ab ἕλη, εἵλη, cf. Buttm. Lexil. II, p. 191. Etyma vocabulorum in ipso Homero frustra quaeras. Quominus tamen ea Atticae demum aetatis propria esse dicamus, nam ne apud Hesiodum quidem inveniuntur, obstat Aristarchi auctoritas, qui η 289 pro δύσετο recte δείλετο legendum esse censuit. Nam Ulixes ante solis occasum ipsumque tempus nocturnum ibi in Nausicaam incidit. — Δουλοσύνη, χ 423, Pindaro frequens et Atticis scriptoribus. — Ἔκλησις, ω 485, plenaria oblivio, ab ἐκλήθω. A λήθω Homerus formavit λήθη, B 33. ἐπίλησις Pindaricum est. — Ἐπητύς, φ 306. Patrocinium, ab ἐπητής facundus. Sed substantiva in υς apud Homerum derivantur aut a verbis in ζω vel ω purum exeuntibus, uno excepto γραπτύς, aut ab adverbiis, nunquam ab adiectivis. — Ἐπιγουνίς, ρ 225. σ 74. Secundum scholia femur vel abdomen. Proprie est os, quo genu tegitur, die kniescheibe, — Ἐπίσχεσις, ρ 451. A scholiastis explicatur per φειδώ, retentio sive parsimonia. ἐπίσχειν autem vel ἐπέχειν apud Homerum est inhibere, retinere aliquid ab aliqua re, nunquam abstinere aliqua re, id quod in hanc substantivi ἐπίσχεσις notionem quadraret. Sed hoc levidense videtur. — Ἐπιβήτωρ, in σ 262 ἵππων ἐπιβήτορες ii vocantur, qui equos vel currum conscendunt. Sane Homericae sunt formulae ὀχετὸν ἐπιβαίνειν, ἵππων ἐπιβαίνειν quae in Iliade leguntur. Tamen is qui κάπρον, λ 130 et ψ 278 συῶν ἐπιβήτορα vocavit, ἱππεῖς tantum novit, non ἐπιβήτορας ἵππων. Cf. autem hymn. 33, 18. ep. 4, 4. — Ἐφορμή, χ 130, notat aditum ad ianuam aliquam. — Θεσμός, ψ 296: λέκτρου παλαιοῦ θεσμὸν ἵκοντο, ubi scholl: ὑπεμνήθησαν τοῦ πάλαι τῆς

συνουσίας νόμου. — Θηητήρ, φ 397. a scholiis explicatur per θαυμαστικός, ἔμπειρος. Provenit a θηέομαι. — Κλεπτοσύνη, τ 396, summa astutia et calliditas. — Κλισίον, clarissimum illud vocabulum, pro κλισίη in ω 208 positum, de quo uberrime Spohnius disputavit, l. l. p. 145 sqq. — Μνῆμα, ο 126. φ 40. ψ 619, memoria, vel potius ea quibus memoria alicuius rei conservatur, velut dona. — Μῦναι, φ 111: ἀλλ' ἄγε μὴ μύνῃσι παρέλκετε, nolite rem tergiversando differre. Nam μύνῃσι per προφάσεσι interpretantur Eustathius et scholiorum auctores, quamquam hi etiam alias explicationes attulerunt. Derivandum est vocabulum a μύνομαι vel μυνάομαι, cf. Blomfield. ad Alc. fr. 55 et Buttm. scholl. Odyss. p. 533 n. 3, i. e. προφασίζομαι, quocum etiam ἀμύνομαι cohaeret. — Ξενίη, ω 286. 314. Saepius apud Pindarum invenitur. — Ξεινοσύνη, φ 35. Pind. Nem. χ 91. — Ὀαριστής, τ 179. ὀαρίζω et ὀαριστύς non leguntur nisi in Iliade. Sed nihil est, cur in hoc vocabulo offendam. — Περάτη, ψ 243: νύκτα μὲν ἐν περάτῃ δολιχὴν σχέθεν, ἠῶ δ' αὖτε ῥύσατ' ἐπ' Ὠκεανῷ ubi scholl.: ἤδη πρὸς τῷ πέρατι καὶ τῷ τέλει οὖσαν, Eustathius vero: δηλοῖ ἡ λέξις τὸ πέρας τοῦ Ὠκεανοῦ νῦν οὐ τὸ ἀνατολικὸν, ἀλλὰ τὸ δυτικὸν, δι' οὗ ἔμελλεν ἡ νὺξ δῆθεν σωματικῶς κατελθεῖν, ὡς ἂν ἑτέρωθεν ἀνέλθῃ ἡ Ἠώς κ. τ. λ. Eustathii explicationi favet usus poetarum Alexandrinorum, apud quos περάτη modo coeli plaga occidentalis, Callim. h. Del. 169, modo orientalis est, cf. Apoll. Rhod. I, 1281 ibique scholia. Apud Aratum v. 499 significat τὸ ὑπὸ γῆν ἡμισφαίριον. Proprie notat extremam terrae partem. — Ποδάνιπτρα ποδῶν, τ 343, lavationes pedum. Sic ἐπιβουκόλος βοῶν, αἰπόλος αἰγῶν. Homerus autem de quovis balneo vocabulum λοετρά usurpat. Contra v. 504 ποδάνιπτρα videntur de aqua intelligenda esse, qua pedes lavantur. — Πολυκέρδειαι, magna astutia ω 167. Adiectivum πολυκερδής habes ν 255. Recte Spohnius p. 163, substantivum ita formatum, inquit, ex omni hac stirpe, hoc loco excepto, primum quod sciam legitur apud Pindarum. Ol. I, 84. — Πολυμηχανίη, ψ 231. Πύρνον, ο 311. ρ 12. 362. syncopatum est ex πύρινον scil. σιτίον, notatque panem, vel frustum panis. Alia vero huius syncopes exempla ex Homero vix peti possunt; cf. infra παιδνός. — Ῥῆσις, φ 291. Frequens Pindaro et scriptoribus Atticis huius vocabuli est usus. — Σαοφροσύνη, ψ 13. plurali numero v. 30. Idem quod prosariis σωφροσύνη. σαόφρων legitur Φ 462. δ 158. — Τειχίον, π 165. 343. idem quod τὸ τεῖχος. Collatis θηρίον quod pro θήρ, κ 171. 180, οἰκίον quod pro οἶκος sexcenties apud Homerum redit, etiam hoc vocabulum omni vacat suspicione. — Τερπωλή, σ 37. — Ταννστύς, φ 112. — Ταχυτής, ρ 315. ψ 740, praeterea apud Pindarum et prosarios Atticos. De accentu conferantur grammatici, a Buttmanno citati, Gramm. gr. II, p. 417 n. et a

Lobeckio in addend. p. 419. Homerus autem substantiva in $\overline{\tau\eta\varsigma}$ non ab adiectivis in $\overline{\upsilon\varsigma}$ sed in $\overline{o\varsigma}$ exeuntibus formasse videtur, veluti *κακότης, δηιοτής, ἁδρότης*, nam de *ἀνδροτής* quod olim legebatur cf. Lehrs. Arist. p. 270. n. *βραδυτής* extat in *T* 411. *βαρύτης* vero, *πινυτής, ἐγχύτης*, aliaque id genus apud Atticos demum inveniuntur scriptores. — *Χαλιφροσύναι, π* 310. *χαλίφρων, σ* 371. *τ* 530. — De *χλωρηίς* infra disputabitur s. v. *ἀλετρίς*.

Apparet autem, horum vocabulorum alia aliis esse molestiora. Nam multo maiorem mirationem faciunt *γενειάς, γραπτύς, δείλη, ἐπητύς, πολυκέρδειαι, ταχυτής* quam reliqua. Idemque etiam in haec cadit substantiva: *Ἀπολυμαντήρ* in *ρ* 220. 377. ita ex Eustathii scholiorumque sententia is vocatur, qui abiecta conviviorum vorat, homo vilis quem nos einen tellerlecker dicimus quasi lingendo lances purgantem. Sine dubio derivandum ab *ἀπολυμαίνεσθαι* quod *A* 313. 314 de lustrationibus usurpatum, vocabulum sacrum esse videtur. Contra Apollonius Sophista et Hesychius aliam huius vocabuli, quod per *ὁ τὰ δεῖπνα λυόμενος* interpretantur, secuti sunt etymologiam, nempe ita ut *ἀπολυμαντήρ* is vocetur, qui inopportuna praesentia hilaritatem conviviorum turbat, ein stoerenfried. Ita *λυμαντήρ* habes apud Xenoph. Hier. 3,3. Sed verbum *λυμαίνομαι* quod ab Homero alienum est, apud Atticos demum scriptores hanc nocendi et turbandi significationem habet. — *Ἀχρημοσύνη, ρ* 502, paupertas, *ἔνδεια χρημάτων*. Adiectivum *ἀχρήμων* Homericum non est. Cf. autem de hoc vocabulo Buttm. Lexil. II, 86, 13 et qui a multis citatur Fischer. in Welleri gramm. gr. II, p. 40. Redit vocabulum apud Theogn. 156. Soph. fr. 655. Apollinar. Ps. CVI, 82. — *Εὐεργεσίη, χ* 374 iusta agendi ratio, contra plurali numero v. 235 beneficentia. *Εὐεργός, λ* 433. *ο* 421. *ω* 201 est is, qui officio suo bene fungitur, qui bene se gerit. Itaque formula *εὐεργεσίας ἀποτίνειν* accedit ad Hesiodeam dictionem, cf. Theog. 503. Nam *εὐεργός* et *εὐεργής* numquam apud Homerum notant beneficum. — *Εὐηγεσίη, τ* 114, bonum imperium, *εὐαρχία*. *Εὐηγεῖσθαι* non est Homericum. *ἡγεῖσθαι* autem non tam significat imperium exercere in aliquam terram, quam ducem esse, praeesse alicui expeditioni, nec unquam absolute ponitur, quod dicunt. *εὐηγεσίη* autem vocabulum frigidum est et ieiunum, quapropter non miror, fuisse grammaticos qui *εὐεργεσίης* hoc in loco legi mallent. Ceterum hoc quoque vocabulum, ut modo dixi, non minus quam *ἀεργίη, ω* 251. Hes. opp, 311. cf. Spohn. p. 178, et *κακοεργίη, χ* 374 recentiorem originem prodit. Lexicorum caussa addo etiam Apollin. Ps. CXVIII. 282 adhibuisse illud vocabulum. — *Ἐπισχεσίη, φ* 71 praetensio, praetextus, idem quod *πρόφασις, T* 302. Nunquam vero *ἐπέχειν* vel *ἐπισχέθειν* sensu tralaticio apud Homerum est fingere aliquid. — *Δρησ-*

τοσύνη, *ο* 321, de quo vocabulo Eustathius *καθ' ὁμοιότητα τοῦ παλαισμοσύνη ἡ ταπεινὴ διακονία, ἤγουν τὸ πῦρ ἀνάψαι καὶ ξύλα κεάσαι καὶ τὰ ἑξῆς.* Est ars bene se famulum gerendi, quod nos dicimus geschicklichkeit im aufwarten. — *Δράω*, *ο* 316, *ὑποδράω*, *ο* 332, *δρηστήρ*, *π* 248. 675. v. 166, *ὑποδρηστήρ*, *ο* 333 non extant in prioribus Odysseae libris. *δρήστειρα* legitur *τ* 345 et *κ* 349, sed haec libri decimi particula interpolationis suspicione non omni ex parte libera est. Ab Iliade omnia haec vocabula alienissima sunt. — *Μυχμός*, *ω* 416: *ἐφοίτων μυχμῷ τε στοναχῇ τε*, ubi Eustathius: *μυχμὸν δὲ λέγει τὸ διὰ τῶν μυκτήρων ἆσθμα καὶ τὸν ἐντεῦθεν ἦχον παρὰ τὸ μύζειν, ἐξ οὗ καὶ ὁ μυκτὴρ καὶ τὸ μυχθίζειν παρὰ Αἰσχύλῳ.* *Μύζω* Homericum non est, sed *ἐπιμύζω* de gemitu indignabundi cuiusdam clausis labiis emisso positum est *Δ* 20, *Θ* 457. Ceterum expectaveris *μυγμός* quod recentissimi habent scriptores, nisi ad analogiam vocabulorum *ἰωχμός* et *πλοχμός* etiam hoc accedere velis. — *Πείση*, *υ* 23: *τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα*, sui compos mansit. *Πείση* dictum est pro *πειθώ*, secundum scholl. et Hesychium, quod Lobeckio Pathol. p. 49 certissimum videtur. Homerus fortasse dixisset, *κραδίη δέ οἱ οὐκ ἀπίθησε*, atque nonnulli grammatici in derivando vocabulo de *πεῖσμα* cogitaverunt, unde mira illa scholiorum interpretatio fluxit *ἀντὶ τοῦ κατὰ χώραν. οὐκέτι ἦν ἐν κινήσει, ἀλλ' ἐν θεσμοῖς ἔμενε.* Hanc etymologiam nescio quo iure Doederlinus revocavit, Glossar. Homer. II. p. 267, nisi quod rectissime vidit priorem significationem abstractam, parum cum Homerica dictione convenire.

Ex adiectivis nomino *ἄμαλος* quod cum *μαλακός*, *μαλερός* cohaerere videtur, *Χ* 310 de agno et *υ* 14 de parvulis canibus dictum. — *Ἄμφωτος*, *χ* 10 *ἄλεισον ἄμφωτον* poculum ansis utrimque praeditum. *τρίπους ὠτώεις* vocatur in *ψ* 264. 513. *οὔατα* de ansis dictum est in *Λ* 362. *Σ* 378. — *Ἄπτερος* proprie est alis sive pennis non praeditus. Quater redit vocabulum in formula *ὣς ἄρ ἐφώνησεν, τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος*, *ρ* 57. *τ* 29. *φ* 386. *χ* 398, ubi significari putant interpretes, sermonem non avolasse sed inhaesisse animo alicuius. Sed etiam sic intellegi potest haec formula, ut duorum colloquentium alterum locutum esse, tacuisse alterum statuamus. Apud Aesch. Ag. 267 *ἄπτερος φάτις* est rumor nondum confirmatus. — *Αὐτάγρετος*, *π* 148. Hymn. Merc. 474, est id quod e suo quisque arbitrio elegit. — *Αὐτοδίδακτος*, *χ* 347, a se ipse edoctus. Novitate rei hoc vocabulum vix excusem. Ceterum observandum est adiectiva composita ex *αὐτός* et adiectivis verbalibus cum passiva notione, ab Homero aliena esse. Nam *αὐτοχόωνος* extat in *Ψ* 826. Activam notionem unicum *αὐτόματος* habet, nisi forte nomen proprium *Αὐτομέδων* addere velis. — *Βασιλήιος*, *π* 401. *τιμὴ βασιληίς*, *Ζ* 193. — *Γύναιος*, *ο* 247. *λ* 520. *γυναικεῖος* ibidem v. 436

Adiectiva derivata a *γυνή* in genuinis carminibus nondum inveniuntur. De *καλλιγυναῖκα* nota est res. — *Δηλήμων*, exitiosus, perniciosus σ 85. 116. φ 308. Ω 33. Nam ε 118 legendum est *ζηλήμονες*. — *Ἔμφυλος*, ο 273: *ἄνδρα κατακτὰς ἔμφυλον*, *ὁμόφυλον*, *φυλέτην*, id quod melius redditum est in ψ 118 per *φῶτα κατακτείνας ἐνὶ δήμῳ*, cf. Ω 481, et aliis in locis per *ἐν δήμῳ ἄνδρα κατακτάς*. Etymon vocabuli ab Homero non alienum. — *Ἐρίμυκος*, Υ 497. Ψ 775. ο 235. Hes. Opp. 788, de bovibus dictum. Apud Homerum legitur: *ταῦρος μακρὰ μεμυκώς*, Σ 580. *πόρτιες ἀδινὸν μεμυκωμέναι*, κ 113. cf. μ 265: *μυκηθμοῦ ἤκουσα βοῶν*, Σ 575: *βόες μυκηθμῷ ἀπὸ κόπρου ἐσσεύοντο*. — *Ἑρκεῖος*, χ 335, cognomen Iovis etiam Tragicis usitatum et Platoni. Accentus apud Atticos scriptores semper in antepenultima est et sic fortasse etiam hoc in loco scribendum, quia *ἑρκεῖος* ab ipso *ἕρκος*, quemadmodum *δούλειος*, *βρότειος* a *δοῦλος*, *βρότος*, non vero ab *ἑρκέιος* quemadmodum *Κεῖος* a *Κέιος* formatum esse videtur. Etiam inter veteres grammaticos de accentu dissensio fuit, cf. Eust. ad h. l. — *Εὔβοτος*, ο 406. Sic *αἰγίβοτος*, *βούβοτος*, *ἱππόβοτος*. — *Εὐπηγής*, φ 334 bene compactus. Recentiores semper dicunt *εὐπαγής*. Homerus habet *μεσσοπαγής*, *πρωτοπαγής*, sed etiam *πηκτός*, *εὔπηκτος* et *ἁρματοπηγός*. Itaque productio litterae $\bar{\alpha}$ in $\bar{\eta}$ apud eum frequentior est. — *Ἰοδόκος*, φ 12 epitheton pharetrae. Observandum autem vocabula *δουροδόκη*, *ἱστοδόκη*, *ξεινοδόκος*, quae apud Homerum inveniuntur, esse substantiva, contra *μηλοδόκος*, *οἰνοδόκος*, *πανδόκος*, *πολεμηδόκος* adiectiva esse Pindarica. *ἰοδόκη* apud Anthologiae quosdam poetas legitur. — *Ἰσοφόρος*, σ 373. Eusth.: *ἰσοφόροι δὲ ἢ εἰς ἶσον φερόμενοι καὶ ὡς εἰπεῖν ἰσοφαρίζοντες*, *ἢ ἶσον ἄχθος φέρειν δυνάμενοι*, *ἢ ἰσοκίνητοι καὶ ἶσοι κατὰ τὸ φέρεσθαι*. cf. *ἰσοφόρος ὀρχηστής* apud Polluc. Onom. IV, 97. — *Κακοεργός*, σ 54 epitheton ventris, de quibus dictum est ad voc. *ἄναλτος*. — *Εὐεργής*, λ 433. ο 421. ω 201 qui officio suo bene fungitur. — *Δημιοεργός*, ρ 383. τ 135. Sic *ἑκαεργός*, *ὀβριμοεργός*, *ταλαεργός*. Est is, qui negotia exercet toti populo utilia, operarius publicus. In hymn. Merc. 98 *δημιοεργὸς ὀρθρός* est tempus matutinum, optime labori conveniens. — *Κακόξεινος*, υ 376. *φιλόξεινος* saepius in Odyssea extat. — *Κρηναῖος*, ρ 240 *νύμφαι κρηναῖαι* ut apud Aeschyl. fr. 159. Atticis *κρηναῖον* quodcunque ad fontes pertinet vocatur. ν. κρ. in Υ 8 sunt *νύμφαι αἳ πηγὰς ποταμῶν νέμονται*. Cf. κ 350 ubi de Circes ministris sermo est:

γίγνονται δ' ἄρα ταίγ' ἔκ τε κρηνέων ἀπό τ' ἀλσέων
ἔκ δ' ἱερῶν ποταμῶν, οἵ τ' εἰς ἅλαδε προρέουσιν.

Λευκάς, ω 11 cf. Spohn. l. l. p. 61. Non praetereundum est, vocabula in *ας* exeuntia apud Homerum a substantivis tantum et verbis formata esse,

cf. Geppert. II, 112. — *Μητρώιος*, τ 410. Sic *πατρώιος*, *ὀλοφώιος*. Sed Homerus illo in loco dixisset *εἰς μητρὸς μέγα δῶμα*. — *Μολοβρός*, quod fortasse iam ad primum ordinem referendum erat. Est mendicus qui semper in divitum epulis versatur, ὁ *μολὼν ἐπὶ βοράν*, ut veteres grammatici parum urbane interpretantur. In secunda vocabuli parte agnoscimus verbum *βιβρώσκω*. De priore cf. Benfei Lex. etym. I, 478. — *Μυχοίτατος* de quo cf. Buttm. gramm. gr. I, 272 ext., φ 146. *μυχός* ubique substantivum est. Sine dubio ad analogiam comparativorum *κύντερος*, *βασιλεύτερος* unde *βασιλεύτατος*, etiam haec forma ficta est. — *Οὐλοκάρηνος*, τ 246 capite crispo et comis bene obsito. *Οὖλαι κόμαι*, ζ 231. ψ 158. Apud Homerum Achivi semper *καρηκομόωντες* vocantur et sic *καρηκομόωντας ἑταίρους*, β 408. — *Πανδήμιος*, σ 1. Forma Attica est *πάνδημος*. — *Περιπληθής*, ο 404: *οὔτι π.* De insula Syria quae hominibus non nimis abundat. Non est quid in hoc vocabulo offendam. At pro *οἰνοπληθής* quod ibidem extat, Homerus in Iliade dixit *ἀμπελόεις*. — *Πολύιδρις*, ο 458. ψ 82. Hes. Theog. 616 et in Sapphus fragmentis. *Πολυιδρείη* iam in β 346 invenitur. — *Πολύπικρος*, π 255: *μὴ πολύπικρα καὶ αἰνὰ βίας ἀποτίσεαι ἐλθών*. *Πολύς* autem cum adiectivis compositum apud Homerum ipsam adiectivi notionem nunquam augere videtur, sed rem aliquam indicare, qua quid abundet, vel res vel persona, ideoque cum adiectivis derivatis non cum primitivis componitur, veluti: *πολυήρατος*, *πολύκαρπος*, *πολυκερδής*, *πολύκλητος*, *πολύπυρος*. Fortasse hoc in loco legendum est *πολὺ πικρά*. — *Προσφυής*, alligatus, τ 58: *καὶ ὑπὸ θρῆνυν ποσὶν ἧκε προσφυέ' ἐξ αὐτῆς*, sc. *κλισίης*. *Προσφύω* legitur μ 433. Ω 203. — *Τηλεφανής*, ω 83. a *φαίνω* Homerus habet adiectiva *φαεινός*, *φαάντατος*, *φαίδιμος*, *ἀμφάδιος* et *ἄφαντος*. *ἐπιφανής*, *ἀναφανής*, *δυσφανής* rell. apud recentiores scriptores inveniuntur. Cf. Spohn. l. l. p. 162 extr. — *Ὑδατοτρεφής*, ρ 208. — *Φιλοκέρτομος*, χ 287, dicitur is, qui alios iniuriis exagitare solet. Homerus habet *κερτόμιος*, non *κέρτομος*.

Graviora paullulum, quippe quae apertius recentiorem originem prodant, sunt haec: *γνώριμος*, π 9, vocabulum scriptoribus Atticis frequentissimum. Adiectiva autem in *ιμος* apud Homerum a nominibus et adverbiis, non a verbis derivantur. Vel potius, ne cui hoc nimis temere contra Buttmannum dictum videatur, gramm. gr. II, p. 449, ab iis tantum verbis a quibus iam substantiva formavit Homerus, aut quae ipsa primitiva non sunt, quemadmodum *μόριμος*, *μόρσιμος*, *κάλλιμος*, *πένθιμος*, *αἴσιμος*, *ἀοίδιμος*, *ὄψιμος*, etiam *κυδάλιμος*, *εἰδάλιμος* aliaque id genus. — *Διατρύγιος*, ω 342. Eust.: *διατρύγιος τῶν ἅπαξ εἰρημένων καὶ διαφόρως λαμβανομένων. σημαίνει δὲ ἄμπελον ἧς οἱ καρποὶ ἐν διαφόροις καιροῖς πεπαίνονται. ἕτεροι δὲ διατρυγίους φασὶν ὄρχους οὗ*

μόνον οἰνικούς, ἀλλὰ καὶ δενδρικοὺς καὶ μὴ πάνυ πυκνούς, ἀλλὰ τοιούτους ὡς μεταξὺ τῶν κατὰ τὰ φυτὰ στοίχων παρεσπάρθαι τι τῶν σπορίμων καὶ οὕτω τρυγᾶσθαι. Adiectiva in ιος fere omnia a nominibus formantur. At Homerus neque διάτρυγος, neque διατρυγή habet, sed τρυγάω et ἀτρύγετος, epitheton maris et aetheris. — *Εἰδάλιμος*, ω 279. Duplicem huius adiectivi etymologiam et interpretationem proposuerunt Eustath., Scholl., Lexicogr., e quarum altera eaque parum opinor propter enuntiati sententiam probanda, derivandum est παρὰ τὸ εἰδέναι idemque notat quod ἔργα εἰδυίας. Ex altera vero provenit ab εἶδος, estque εὐειδεῖς, pulcrae, venustae. εἶδος proprie est forma, figura, quae qualis sit ex additis adiectivis intellegitur, velut ἀγητός, ἄριστος, ἀκιδνότερος, aliis. Contra pulcritudinem ipsam nisi in ρ 454 et υ 71 non significat. — *Ληιβοτείρη*: συὸς ὡς ληιβοτείρης, σ 29. Scholl.: τῆς κατεσθιούσης τὸ λήιον, ὅ ἐστι τὸ σιτοφόρον χωρίον. Accuratius paullulum Eust.: σῦς ληιβ. ἡ διαβοσκομένη ἀλλότριον λήιον. Igitur proprie est sus, quae agris vastandis victum sibi quaerit. Sed miramur hanc adiectivi βότειρα significationem, collato πουλυβοτείρη epitheto telluris multos alentis, almae. Hic enim βότειρα sensu activo a βόσκω, ibi reflexive vel sensu medio a βόσκεσθαι. Atque activam huius formationis notionem tuetur analogia adiectivorum in ανειρη, velut: ἀντιανείρη, βωτιανείρη, κυδιανείρη. Praeterea huc faciunt καυστείρη (καυστείρη μάχη, Δ 342. Μ 316, pugna ardorem militum excitans) et δμητείρη (domina, vel domitrix potius, Ξ 259) σωτείρη, δοτείρη, γενετείρη, rell. — *Μελαγχροιής* nigricante cutis colore, π 175. In genuinis carminibus adiectiva derivata a χροῦς, χροός, radice non mutata in tertia declinatione casus habent, velut: μελανόχροες, Ν 589. ταμεσίχροα, Δ 511. Ν 340 et sic χλαυκόχροα apud Pindarum, praeterea δέρμα εὔχροές, ξ 24. modo in τ 246 μελανόχρους legatur casu nominativo. — *Προσκηδής*, φ 35: ἀρχὴν ξεινοσύνης προσκηδέος, contrarium est ἀκηδής. Interpretantur scholia: τῆς ποιούσης κηδεμονικῶς ἔχειν πρὸς ἀλλήλους. De vera notione praepositionis πρός, quae in compositis Homericis accessionem sive additionem alicuius rei ad aliam indicat, nunquam affectionem alicuius erga aliquem, velut in Xenophonteo illo προσφέρεσθαί τινι, hoc vel illo modo erga aliquem esse affectum, in hoc vocabulo non liquet. Ipsum verbum προσκήδομαι legebatur olim in argumento Aiacis Sophoclei, ubi nunc προκήδεσθαι scriptum est. — *Τριχάικες* Dorienses vocantur τ 177 et Hes. fragm. 68, utpote tripartiti. Derivandum est adiectivum a τρίχα et ἀίσσω, quod bene Dammius ita explicuit: ruo, vel feror vel mittor cum impetu. Est ab ἄω, flo, notatque proprie rem, quae moto aëre per impetum sonum quasi aëris efficit. Inde κορυθάιξ extat, idem quod κορυθαίολος et πολυάιξ, eodemque alii grammatici etiam τριχάιξ rettule-

runt, quorum sententias Eustathius proposuit: ἕτεροι δὲ τοὺς πολεμικούς φασι καθ' ὁμοιότητα τοῦ κορυθάικι πολεμιστῇ. οὗ δηλαδὴ αἱ τῆς περικεφαλαίας τρίχες ἀίσσουσι, τουτέστι σείονται, κατὰ πόλεμον. ἄλλοι δὲ τοὺς τριλόφους φασὶν, οἷς λόφοις τρίχες ἔνεισιν. De triplice galeae crista etiam Boeckhius cogitavit ad Pind. Ol. VII, 76. — Χρόνιος ρ 112: μὲ κεῖνος ἐφίλει, ὡς εἴτε πατὴρ ἑὸν υἱὸν ἐλθόντα χρόνιον νέον ἄλλοθεν, iuvenem filium post longum temporis spatium reducem.

Verborum in numero habeo: ἀγαπάω φ 289. ψ 214. Sed ἀγαπητός iam β 365. δ 817. Ζ 401 invenitur. — Ἀγυρτάζω, τ 284: χρήματ' ἀγυρτάζειν ἤθελεν. In γ 301 est χρυσὸν καὶ βίοτον ἀγείρειν, in ξ 285 χρήματ' ἀγείρειν. Verbum est frequentativum et satis recte formatum, cf. ἄγυρις γ 31. Π 661. — Ἁματροχάω, una cursito ο 450, cf. τροχάω ζ 318, ἐπιτροχάω Γ 213. Est autem unicum verbum Homericum cum ἅμα compositum, quod quominus seiunctim scribatur, obstant ἁματροχιαί in ψ 423 commemoratae. — Αἰόλλω υ 27. Damm.: κινέω κατὰ εἴλησιν moveo volvendo et orbes faciendo. Apud Hes. Scut. 399 αἰόλλεσθαι est colorem induere, ὄμφακες αἰόλλοντο, item αἰόλλειν apud Nicandrum Ther. 154, colorare. Nota sunt ex Homero adiectiva αἰόλος, Buttm. Lexil. II, 73, κορυθαίολος, παναίολος. — Βαστάζω φ 405. λ 594 tollere. — Θητεύω λ 488. σ 356, θητεύομαι Φ 444 operam facere mercenariam. θῆτες semel apud Homerum commemorantur, δ 644, ubi scholl.: οἱ ἐλεύθεροι μὲν μισθῷ δὲ δουλεύοντες, cf. Hes. Opp. 602. de etymologia vocabuli optime disputavit Buttm. Lexil. II, 111. — Κληΐζω claudo. κλήισεν θύρας τ 30. 387. 389. κληῗσαι θύρας φ 241. θύρας κληῗδι κληῗσαι, ω 166, ἐκλήισεν ὀχῆας. Atticum est κλῄζω. Non offenderem hoc vocabulo, nam legitur κληιστύς iam β 144, nisi Ξ 168 esset: πυκινὰς δὲ θύρας σταθμοῖσιν ἐπῆρσε κληῗδι κρυπτῇ, cf. φ 50: ἐνῆκε κληῗδα, α 442: ἐπετάνυσσε κληῗδα ἱμάντι. — Λωβεύω ψ 15. 26. Homericum est λωβάομαι, sed ἐπιλωβεύω iam β 323 extat. — Μακαρίζω. ἐξ ἐμεῦ, ὡς ἄν τίς σε συναντόμενος μακαρίζοι ο 538. ρ 165. τ 311. μακαρίζω et ὀλβίζω vocabula sunt Attica, melius igitur auctor rhapsodiae σ, v. 217, magisque ad dictionem Homericam illud καί κέν τις φαίη γόνον ἔμμεναι ὀλβίου ἀνδρός dixisse mihi videtur. — Μεγαλίζομαι ψ 174 superbio, cf. Κ 69. — Μεθύω σ 240 ebrius sum, cf. φ 390, verbum Pindaro et Tragicis satis usitatum. Homerus in I 465, ι 45 μέθυ πίνειν dixit, sed hoc levidense est. — Ὀκριάομαι σ 33: πανθυμαδὸν ὀκριόωντο, quod lexicographi explicant per ἐτραχύνοντο, ὠργίζοντο. ὀκριᾶσθαι proprie est acutum, hirsutum fieri. Notum est ὀκριοείς, neque defuerunt grammatici, qui pro ἄκριας ἠνεμοέσσας in ι 400 et π 365, ὄκριας vel ὀκρίας legerent. — Ὀμνύω, ὄμνυμι τ 288.

ψ 285. *T* 175. Homericum est *ὀμόω*. Sed iam in genuinis Odysseae partibus composita *ἀπομνύω* et *ἀπόμνυμι* extant. Cf. *β* 377. *κ* 345. *μ* 303. Itaque simplicia nullam offensionem habent. — *Περαιόω*, *ω* 437. verbum est Atticum. — *Ὑποκλοπέομαι*, *χ* 382 furtim delitesco. *ὑπόκλοπος* non extat apud Homerum, sed *ἐπίκλοπος*, *λ* 281. 363. *ν* 291. *φ* 397. Poeta sine dubio *ὑποκρύπτεσθαι* posuisset, cf. *ο* 626. — *Ὑποσταχύομαι* paullatim accresco, augeor in modum spicarum, *υ* 212 de gregibus dictum, cf. Apoll. Rhod. I, 972: *ὑποσταχύεσκον ἴουλοι*.

Magis suspecta videntur: *Καταικίζω*, *π* 270, *τ* 9. *αἰκία*, *αἰκής*, *αἰκίζω*, *αἰκισμός*, *αἴκισμα* vocabula sunt Attica. Homericum est *ἀεικίζω*, unde *ἀεικής*, *ἀεικέλιος*, *ἀείκεια* formavit. — *Ὁμηρέω* convenio cum aliquo, occurro alicui, *π* 468. Ab Hesychio et Harpocratione explicatur hoc verbum per obsidem esse. Apud Atticos scriptores forma *ὁμηρεύω* extat, quae notione conveniendi, congruendi iam ab Hes. Theog. 39 usurpata est. Neque *ὅμηρος*, neque *ὁμήρης* Homerica. — *Περισθενέω*. *μή με περισθενέων δηλήσεται ὀξέι χαλκῷ*, *χ* 368. *περισθενής* Pindaricum est. Hanc vero verbi significationem poeta semper per periphrasin expressit.

Ex adverbiis denique, ut pronomina taceam et minores particulas, quae magis ad grammaticam pertinent disputationem, quam ad commentationem de verborum delectu, haec nomino: *Εὐκόσμως* bono ordine, *φ* 123. Hes. Opp. 625. *εὐκόσμητος* extat in hymn. Merc. 384. *εὐκοσμία* est Atticum. *ἄκοσμος* invenitur B. 213. — *Κουρίξ*, *χ* 188. ex Aristarchi sententia, quam probavit Apoll. Rhod. IV, 18, ubi scholl.: *κατὰ κόρρης*, *κατὰ κεφαλῆς* interpretantur, notat *ἐπιλαβόμενοι τῆς κόμης*, *ἐκ τῆς κεφαλῆς*, *ὡς εἴ τις εἴποι ἐκ τῆς κουρᾶς ἰδιωτικώτερον*. Secus vero Crateti visum est, qui vocabulum *κουρίξ* perperam per *νεανικῶς* explicuit, *ἀνδρείως καὶ ὡς πρέπει κούροις*. Exhibet autem hoc vocabulum satis egregiam antiquae formationis speciem. — *Λίγδην*, *χ* 278. in Iliadis *P* 599 est *ἐπιλλίγδην*, derivandum sine dubio a radice *ΛΙΓ* —, unde etiam *λίστρον* provenit. — *Πανθυμαδόν* intento studio, toto animo, *ὁλοψύχως*, *σ* 33. ortum videtur e *παντὶ θυμῷ*. Sed adverbia, quae in *δον* vel *αδον* exeunt, apud Homerum analogiam quandam notant et rationes, quibus res visibiles ad alias accedunt, velut *καταφυλαδόν*, *κατωμαδόν*, neque umquam cum *παν* composita sunt. *ὁμοθυμαδόν* primum apud Aristophanem invenitur.

Valde suspecta praeterea sunt: *Ἐμπλήγδην*, *υ* 132: *ἐμπλήγδην ἕτερόν γε τίει μερόπων ἀνθρώπων*, ubi scholl. *ἀκρίτως*, h. e. temere, sine iudicio, *ὡς ἂν τύχῃ*. Adiectivum *ἔμπληκτος*, temerarius, vesanus, Atticum est. *ἐμπλήσσειν* autem apud Homerum notat inicere vel incidere et apud recentiores demum scriptores aliquem consternare et conturbare. Deinde *ἀμφουδίς*, *ρ* 237: *ἢ πρὸς γῆν ἐλάσειε κάρη ἀμφουδὶς ἀείρας*.

De perversa huius versus interpretatione quam Eustathius protulit, dixi in proxima commentatione. *ἀμφουδίς* sine dubio derivandum est ab *οὖδας*, idem igitur notat quod *πρὸς γῆν*. Constat autem praepositione *αμφι* cum aliquo nomine composita, eam alicuius rei indicari qualitatem, qua vel tota circumdata, vel duabus ex partibus instructa sit. Igitur clipeus qui militem ab omni parte defendit, *ἀμφίβροτος* nominatur, insula undique mari circumflua *ἀμφίαλος*, sagitta duplice cuspide munita *ἀμφήκης* et sic reliqua. Neutra significatio in hoc vocabulum quadrat. Praeterea pauca tantum apud Homerum inveniuntur adverbia in *ις* exeuntia, *ἀμφίς* i. q. *ἀμφί, λικριφίς* ex obliquo, *ἀμοιβηδίς, ἐπαμοιβαδίς,* quorum nullum a substantivo derivandum videtur.

Maxima autem hac mole digesta, iam pergendum est ad ea vocabula, quae in recentioribus carminibus in aliorum locum successerunt, et quae omnia hanc ipsam ob caussam, secundum ea quae in initio commentationis exposui, magnam et iustam novae originis suspicionem movent. Quibus recensitis, secundus novorum vocabulorum et *ἅπαξ εἰρημένων* ordo conficitur. Iterum hic quoque rem ita instituam, ut primum substantiva, dein adiectiva, postremo verba et adverbia enumerentur. Substantiva autem haec sunt: *ἀγρότης* rusticus, *π* 218 pro *ἀγροιώτης*. — *Ἀεικείη*, *Ω* 19, *υ* 308. Significat id, quod alias *ἔργον ἀεικές* vocatur. — *Ἄλειαρ* farina. Vocabulum Homericum quod farinam notat est *ἄλφιτα*. Quapropter in *υ* 108, cuius versus altera pars ex *β* 290 petita est, *γυναῖκες ἄλφιτα τεύχουσαι καὶ ἀλείατα μυελὸν ἀνδρῶν*, inepte duobus vocabulis idem bis dictum est. Quibus enim argumentis illa grammaticorum sententia confirmari possit, qui *ἄλειαρ* farinam triticeam, *ἄλφιτα* vero hordeaceam esse censuerunt, prorsus me fugit. — *Ἀλήμων*, *ρ* 376. *τ* 74. Homericum est *ἀλήτης*, *ξ* 124. *ρ* 420 rell. — *Ἀντίθυρον*, *π* 159: *στῆ δὲ κατ' ἀντίθυρον κλισίης*. Denotat sine dubio eam Homericarum aedium partem, quae portae opposita est, *πρόδομον*, cf. I, 473: *ἐνὶ προδόμῳ πρόσθεν θαλάμοιο θυράων*. Scholl. et Eust.: *ἄντικρυ τῆς θύρας*. — *Βίος* in recentiore Odysseae parte ter legitur, *ο* 490. *σ* 235. *τ* 127, pro quo aliis in locis Homerus *βίοτος*, semel *δ* 565 *βιοτή* dixit. *βιότης* hymn. 7, 10. Apud Hesiodum Opp. 31. 42. *βίος* est victus. — *Βότηρ*, *ο* 504, vocabulum Tragicis usitatum. In *M* 302, *ξ* 102, *ρ* 200 est *βώτωρ*, *ἐπιβώτωρ* *ν* 222. — *Βρωτύς*, *σ* 407. *T* 203, formatum ad analogiam vocabuli *ἐδητύς*. Homericum est *βρῶσις*, quod fere semper in Odyssea, semel in Iliade legitur, *T* 210. — *Γενετή*, *σ* 6: *τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ ἐκ γενετῆς*, *Ω* 535: *Πηλῆι θεοὶ δόσαν ἀγλαὰ δῶρα ἐκ γενετῆς*. Homericum fuisset *ἐκ γενεῆς*, cf. *K* 68: *πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον*. — *Δείπνηστος* hora epulandi *ρ* 170, quae *ξ* 407 *ὥρη δόρποιο* vocatur, cf. *ρ* 428: *ὥρη καὶ δόρπον*

Ἀχαιοῖσιν τετυκέσθαι. Apud Nicandr. Ther. 671 vocabulum accentum in ultima syllaba habet et explicatur a scholiastis per ipsam coenam. Sed haec accentus distinctio certa destituta est analogia, et recte etiam in Homerico loco formam *δειπνηστός* praeferendam esse, censuit Eustathius. Magis autem Homericae esse dictionis eiusmodi notiones per phrasin quandam seu circumlocutionem quam per nomen abstractum frigidum et ieiunum exprimere apparet. — *Ἐξεσίη*, ρ 20: *τῶν ἕνεκ᾽ ἐξεσίην πολλὴν ὁδὸν ἦλθεν Ὀδυσσεύς*, scholl.: *δημοσίαν ἔκπεμψιν*. Sic Ω 235: *δέπας, ὅ οἱ Θρῆκες πόρον ἄνδρες ἐξεσίην ἐλθόντι.* est legatio, missio publica, idem quod *ἀγγελίη*. *ἐξίημι* est in Λ 141. — *Ἔπαυλος* stabulum, ψ 358. Homericum est *σταθμός*. Porro quia *ἄγραυλος* est adiectivum, ad analogiam vocabuli *μέταυλον*, etiam *ἔπαυλον* exspectamus, vel *ἔπαυλις*, non *ἔπαυλος*. — *Εὖγμα* vana gloriatio, χ 249, idem est quod in Iliade *εὐχωλή*, Δ 173. Θ 64. 229. Χ 343. — *Ἴχνος*, ρ 317 de cane venatico dictum est *καὶ ἴχνεσι γὰρ περιῄδη* h. e. vestigiis valde callebat. Eadem ratione plurali huius vocabuli numero de vestigiis alicuius usi sunt Hes. Opp. 680. Pind. Pyth. X, 12. Nem. VI, 15. Forma Homerica est *ἴχνιον, ἴχνια*. Cf. maxime ε 436: *ἴχνι᾽ ἐρευνῶντες κύνες ἤισαν.* — *Κεῦθος*, Χ 482 et ω 202 *ὑπὸ κεύθεσι γαίης*. Hes. Opp. 300. Pind. Nem. X, 56. Sine *ὑπὸ* Hes. Opp. 334. Vocabula Homerica sunt *κευθμών*, κ 283. ν 367 et *κευθμός*, Ν 28. — *Κλιντήρ*, σ 189. Hoc vocabulum ab Homerico *κλισμῷ* differre vix statuam. — *Κοίτη*, forma Attica pro *κοῖτος* in τ 341. — *Μελεδῶναι*, τ 517. Hes. Opp. 66. Homerus *μελεδήματα* dicit, velut δ 650 *ἀνὴρ ἔχων μελεδήματα θυμῷ.* Praeterea notandum est, substantiva in *ωνη* apud Homerum non inveniri, quapropter aptius fuisset *μελεδών*, cf. hymn. Apoll. 532, collatis *τηκεδών* et *σηπεδών*. — *Ὅμηλιξ* aequalis, ο 197. π 419. τ 358. ω 107. Homerus semper *ὁμηλικίη* dicit, quo vocabulo non solum aequalem aetatem, sed etiam aequales ipsos significat, velut γ 49: *ἀλλὰ νεώτερός ἐστιν, ὁμηλικίη δ᾽ ἐμοὶ αὐτῷ*, ζ 23: *ἥ οἱ ὁμηλικίη μὲν ἔην*, χ 209: *ὁμηλικίη δέ μοι ἐσσί*, Ν 485: *εἰ γὰρ ὁμηλικίη τε γενοίμεθα τῷδ᾽ ἐπὶ θυμῷ.* Simplex autem *ἧλιξ* quod Pindaro et poetis Atticis satis in usu est, tantum σ 372 extat, ubi *βόες ἥλικες* aut boves aequales vocantur i. e. eodem anno nati, aut omnino par boum. Cf. Wernick. ad Tryph. p. 637. *παναφῆλιξ, ὁ τῶν ἡλικιωτῶν ἀπηλασμένος*, Χ 490. — *Ὄνησις* fructus qui ex aliqua re provenit, φ 402. Homericum est *ὄνειαρ, κέρδος.* — *Ὁσίη*, substantivum, fas. π 423: *οὐδ᾽ ὁσίη κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν.* χ 412: *οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ᾽ ἀνδράσιν εὐχετάασθαι,* nefas est. Vocabulum in hymnis Homericis non tam de iure divino, ut h. Merc. 470 *ἐκ πάσης ὁσίης* summo iure, quam de quibuscunque rebus sacris ad deorum cultum pertinentibus usurpatur. *ὁσίης ἐπιβῆναι* sacra

rite instituere h, Cer. 211. Merc. 173, cf. ὁσίη γένετο h. Apoll. 237, ὁσίη κρεάων h. Merc. 130. Nefas est apud Homerum exprimitur per οὐκ ἔοικε, οὐκ ἔστ' οὐδὲ ἔοικεν, Θ 358. Ξ 212 rell. — Πλαγκτοσύνη circumvagatio, ο 343. Homericum est ἄλη. — Τάφος pro θάμβος, φ 122. ψ 93. ω 441. hymn. VI, 37. — Ὑπάλυξις effugium, vitatio. ἐλπωρὴ κακῶν ὑπάλυξιν ἔσεσθαι, ψ 296. οὔτοι ἔσθ' ὑπάλυξις, Χ 270. Homericum est ἀλεωρή, Μ 57. Ο 533. Ω 216, vel τὸ ἀλέασθαι.

Sequuntur adiectiva: Ἀμέτρητος immensus. πένθος ἀμέτρητον, τ 512. πόνος ἀμέτρητος, ψ 249. Verbum μετρέω legitur γ 179: πέλαγος μέγα μετρήσαντες. Homerus autem immensum luctum πένθος ἄλαστον, ἄσχετον, οὐκ ἐπιεικτόν, ἄτλητον, ἀρητόν appellat, πένθος vero ἀμέγαρτον, αἰπύν, ἀπείρητον. — Ἀνήνυστος pro ἀτέλεστος, π 111. Forma Attica est ἀνήνυτος. — Ἄνοστος expers reditus, πάντας ἔθηκεν ἀνόστους, ω 527. Homero frequentia sunt adiectiva νόστιμος et ἀνόστιμος, cf. δ 182: θεὸς κεῖνον δύστηνον ἀνόστιμον οἶον ἔθηκε. — Ἀριφραδής praeclarus, conspicuus, insignis. σῆμα δέ σοι ἐρέω ἀριφραδές signum tibi dicam cognitu facile et distinctu, Ψ 240. 326. λ 125. φ 217. ψ 73. 225. ω 328. Hanc autem notionem apud Homerum habet ἀρίζηλος i. e. ἀρίδηλος, cf. Buttm. Lexil. I p. 254. Contra ἀφραδής, ἀφραδέως, collatis ἀφραδέω, ἀφραδία, est inconsultus, sine prudentia et περιφραδής valde peritum notat, item εὐφραδέως, τ 352 est prudenter. Itaque eandem peritiae notionem in vocabulo ἀριφραδής aegre desideramus. Cf. praeterea φραδής, Ω 354. δουλοφραδής h. Merc. 382. Pind. Nem. VIII, 33 pro quo Homerus δουλοφρονέων habet, κακοφραδής, Ψ 483. — Ἀτελής imperfectus, ρ 546: τῷ τε καὶ οὐκ ἀτελὴς θάνατος μνηστῆρσι γένοιτο πᾶσι μάλ'. Formatum est hoc adiectivum ad analogiam vocabuli ἡμιτελής in Β 701. At Homerus ἀτέλεστος dicit, velut β 273: οὐχ ἁλίη ὁδὸς ἔσσεται οὐδ' ἀτέλεστος, vel ἀτελεύτητος, quemadmodum Iuppiter loquitur in Α 526: οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον οὐδ' ἀπατηλὸν οὐδ' ἀτελεύτητον ὅ τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω. — Γυρός (ἐν ὤμοισιν) τ 246, gibbosus, connexis humeris. Idem est quod κυρτός, in Β 218 (τὼ ὤμω κυρτώ) de Thersite dictum, vel Δ 426 et Ν 79 de convexis curvisque undis. — Δανός. διά τε ξύλα δανὰ κεάσσαι, ο 322. Scribebatur etiam ξύλα πολλὰ κεάσσαι. ξύλα δανά explicatur ab Eustathio per ξηρὰ καὶ ἐπιτήδεια εἰς τὸ δαίεσθαι. Talia autem ligna in aliis locis Homericis αὖα πάλαι περίκηλα dicuntur, velut ε 240. σ 308. sic: Κάγκανος, σ 307. Φ 364, eadem fere ratione qua δανός a δαίω, de qua formatione cf. Lobeck. in Buttm. gr. gr. II p. 498, addita reduplicatione formatum a καίω. Nam verba καγχαίνω, κάγκω quae pro etymis huius vocabuli habentur, nisi in grammaticorum commentariis nusquam extant. πολυκαγκής est in Λ 641. — Δούλειος, ω 252 pro δού-

λιος, cf. Z 463. ξ 340. ρ 323. — Ἀπήμαντος. τ 282: πέμπειν δέ μιν ἤθελον αὐτοὶ οἴκαδ' ἀπήμαντον, delegare eum volebant domum, inlaesum, inviolatum. Homerus semper ἀπήμων posuit, velut Α 415. Δ 519 νόστος ἀπήμων, cf. ε 268. Ξ 164. ἀπήμαντος Tragicis usitatum est et semel Pindaro. — Ἐύπλειος pro ἔμπλειος, ἐνίπλειος, ρ 467: πήρην ἐυπλείην — εὖ πεπληρωμένην. Ceterum adverbium εὖ aut cum participiis vel adiectivis verbalibus, quemadmodum in εὔδμητος, — κτιστός, — πρηστός, — σταθής, — φυής, — φρονέων, aut cum substantivis vel adiectivis a substantivis derivatis componi solet apud Homerum, cf. εὐγένειος, — ηγενής, — ζωνος, — πρυμνος, — πυργος, nunquam cum adiectivis simplicibus. — Ἐυσταθής, υ 258. χ 120. 127. 257. 274. 441. ψ 178. Σ 375. Est firmum, bene constructum, idem igitur quod in reliquis carminibus εὔπηκτον, ἐυκτίμενον, πολύκμητον, πυκινόν. De formatione vocabuli, quocum unum praeterea ἀσταθής contineri potest, quod apud Anthologiae quosdam poetas legitur, disputavit Lobeckius in Phryn. p. 282. — Ἐνιαύσιος. σῦς ἐνιαύσιος, π 454, sus unius anni. ἐνιαύσιος in Hes. Opp. 447 notat annuum. Utraque notione scriptoribus Atticis usu venit. Homericum est ἦνις, sane de bovibus tantum dictum, cf. Z 94. 275. 309. Κ 292. γ 382, sed hoc nihil opinor ad rem. — Ἐπιστήμων, π 374. Homerus etiam hoc in loco ἐπιστάμενος dixisset, cf. ν 313. ξ 359. — Θυμηδής, π 389. Sine dubio derivandum a θυμός et ἥδω vel ἦδος, sicut μελιηδής a μέλι et ἦδος. Res notat animo gratas, quae alibi per θυμήρης sive θυμαρής significantur. — Νηλιτής iustus, officiosus, π 317. τ 498. χ 418. A verbo ἀλείτω, unde Homerus ἀλείτης, ἀλιτρός, ἀλιτήμων Ω 157. 168 formavit. Is autem qui contra praecepta alicuius non peccat μὴ ἀλιτέσθαι ἐφετμάς τινος sive μὴ ἀλιτέσθαι τινά dicitur. Notanda est producta huius vocis penultima, correpta in ἀλιτρός ἀλιτήμων ἀλιτέσθαι, quae novum vocabulum haud parum suspectum reddit. Sed quo auctore nonnulli Odysseae editores νηλειτής scripserint nescio. — Οἰνοπληθής, ο 404. cf. περιπληθής. — Ὀρφανός, υ 68 pro ὀρφανικός Z 432. Λ 394. X 490. — Παιδνός φ 21. ω 338 παιδνὸς ἐών. Homericum fuisset παῖς ἔτ' ἐών, κοῦρος ἐών. Ceterum quia adiectiva in νος exeuntia plerumque aut a verbis, aut a substantivis verbalibus, raro et fere nunquam a substantivis primitivis formata esse constat, apparet hoc adiectivum, sicut πύρνον e πύρινον, syncopatum esse e παιδινός. — Περίρρυτος. τ 173 ita vocatur Creta insula mari circumflua. Perpetuum fere insularum epitheton in Odyssea est ἀμφίρυτος. — Τολμήεις, Κ 205. ρ 284 τολμήεις μοι θυμὸς ἐπεὶ κακὰ πολλὰ πέπονθα. Non est audax, sed patiens. cf. Pind. Pyth. IV, 89 et Soph. Phil. 972 ubi nunc Buttmanno auctore τολμήστατε pro τολμίστατε legitur, Ellendt. Lex. Soph. II, p. 846. Homerus autem

θυμὸν πολυτλήμονα vocat. — *Ὑποχείριος*, ο 447: *οἴσω γὰρ καὶ χρυσὸν ὅ τίς χ᾿ ὑποχείριος ἔλθῃ.* Homero dicitur aliquid *φίλας χεῖρας* vel *ἐς χεῖρας ἱκέσθαι*, μ 336. ν 335. 376. π 16. Κ 448, vel *ἐν χερσί τινος πεσεῖν*, Ζ 81. — *Ὑψιπετήεις*, Χ 308. ω 538. Homericum est *ὑψιπέτης*.

Verba denique et pauca adverbia haec sunt: *Ἀτασθάλλω.* σ 57. τ 88 pro *ἀτάσθαλα ἔρδειν, ἀτάσθαλα μηχανάασθαι.* — *Ἀμφιπονέομαι* pro *ἀμφιπένομαι*, υ 307. ψ 159. 681. — *Ἀφανδάνω*, π 387: *εἰ δ᾿ ὑμῖν ὅδε μῦθος ἀφανδάνει.* In Iliade dicitur *οὐχ ἁνδάνει τινί τι θυμῷ*, in Odyssea *οὐχ ἁνδάνει τι* vel *οὐχ ἁνδάνει θυμῷ.* Notandum praeterea praepositionem *ἀπο* eam negandi vim, quam Latinorum dis, nostrum miss, non habere, nisi cum verbo compositam, cui iam ipsi negatio quaedam insit, velut *ἀπατιμάω.* Semper enim indicat, aut rem aliquam ab alia removeri vel distrahi, sicut nostrum ab in *ἀποδρύπτω*, — *θρώσκω*, — *κρεμάω*, — *λούω*, — *λυμαίνω*, aut iterari aliquid vel iteratum reparari et confici in *ἀπονοστέω, ἀποτίνω, ἀπόφημι* renuntio, *ἀποθνήσκω*, id quod proprie etiam de *ἀπατιμάω* valet. Praeter *ἀφανδάνω* autem huic observationi *ἀποκηδέω* tantum in Ψ 413 repugnat. — *Δακρυπλώω*, τ 122 lacrimis natare, valde lacrimare ebriorum instar. Miramur hanc quasi secundariam verbi *πλώω* vel *πλῶμι* notionem, quod proprie est navigo, non nato, contentis verbis *ἀποπλώω, ἐπιπλώω, παραπλώω.* Id quod grammaticis sine dubio ansam praebuit explicationis illius: *σύνθετον τὸ δακρυπλώειν οἷον δάκρυσι πληθύνειν. τὸ δὲ πλώω πολλάκις* (?) *τὸ πλήθω σημαίνει.* Ceterum frequens admodum Homero est verbum *δακρυχέω.* — *Θάλπω*, φ 179. 184. 246, idem est quod in genuinis carminibus *θέρμω, θερμαίνω.* Sed *θαλπωρή* iam extat Ζ 412. Κ 223. α 107 ita ut minus in hoc vocabulo offenderim, quam in *θαλπιάω* quod τ 319 occurrit. — *Θεειόω.* χ 482: *ὄφρα θεειώσω μέγαρον* et ψ 50: *αὐτὸς δῶμα θεειοῦται.* In Iliade dicitur *θεείῳ καθαίρειν.* — *Ἐπιδημεύω*, π 28. *ἐπιδημέω* Atticum est, Homericum autem *ἐπιδήμιον* vel *μεταδήμιον εἶναι*, cf. α 194. ν 46. — *Ἐπιχειρέω* pro *χεῖρας ἐπιβάλλειν*, ω 386. 395. Vocabula a *χειρ* derivata apud Homerum non legi iam recte Spohnius observavit, de extr. parte p. 179. — *Καναχέω*, τ 469. cf.: *καναχὴν ἔχει τι*, π 105. 794. *καναχή τινός ἐστιν*, ζ 82. *καναχίζω*, Μ 36. — *Κουρίζειν* pro *κοῦρον εἶναι*, χ 185. cf. Δ 321. Ζ 59. — *Λακτίζω* vocabulum Tragicis usitatum, σ 99. χ 88. Homerica sunt *λὰξ προσβαίνω, ἐμβαίνω, πατέω.* — *Ὁπλίσσω* pro *ὁπλίζω*, ρ 289. — *Πενθέω* pro *πένθος ἔχω, ἀέξω*, σ 173. τ 120. Τ 225. Υ 283. — *Περιφῦναι* amplecti π 21: *Τηλέμαχον ὑφορβὸς πάντα κύσεν περιφύς.* cf. ω 236. 320. τ 416. Homericum est *ἀμφὶ χεῖρε βαλεῖν* (*ἀμφιχυθῆναι.* π 214. χ 498) et de salutatione dicitur *φῦναί τινι ἐν χειρί.* —

Πολεύω, χ 223: *οὐδ' ἄλοχον ἐάσομεν κατὰ ἄστυ πολεύειν*, versari, habitare. Homerus, *πωλέομαι εἰς* vel *ἐπί*. — *Ποτέομαι* pro *ποτάομαι* sive *πωτάομαι*. *ἐκποτέομαι* est in *T* 357. — *Σιτεῖσθαι* pro *σῖτον πάσασθαι* vel *σῖτον ἔδειν*. *σιτέσκοντο*, ω 209. De grammatica huius verbi ratione uberrime ut semper disputavit Spohn. l. l. p. 163 sqq. — *Στροφαλίζειν ἠλάκατα* pro *ἠλάκατα στρωφᾶν*, σ 315. *στροφάλιγξ κονίης Π* 775. *Φ* 503. ω 39. — *Τευχέομαι*. *τετευχῆσθαι*, χ 104 pro *τεύχεα δῦναι*. — *Ὑπαλεύομαι*, ο 275. Quamquam *ἀλεύομαι*, *ἀλέομαι* apud Homerum satis usitata sunt, tamen pro *ὑπαλεύομαι* semper *ὑπαλύσκω* dictum est. *ἔκφυγε κῆρας ἠδ' ὑπάλυξεν*, δ 512. ε 430. ϑ 355. ι 189. ψ 332. *τέλος ϑανάτου οὐχ ὑπαλύξας*, *K* 451. *M* 113. 237. sane censuit Buttmannus *ἀλύσκειν* ab *ἀλεύεσθαι* esse derivatum, gr. gr. II, p. 109, sed hoc nihil ad rem. — *Φορύνω*. χ 21: *σῖτός τε κρέα τ' ὀπτὰ φορύνετο* panis et caro assata in terram prolapsa pulvere inquinata sunt. Inquinare apud Homerum significat *παλάσσειν*. *αἵματι λύθρῳ πεπαλαγμένος*. *σάκος πεπαλαγμένον ἄξῃ*. Idem de *Φορύσσω* valet, σ 336. Utrumque verbum a poetis Alexandrinis usurpatur. Atticum est *φύρω*. — *Χαλιφρονέων* pro *χαλίφρων*, ψ 13.

Ἀθεεί sine deo. *οὐκ ἀθεεὶ ὅδ' ἀνὴρ Ὀδυσήιον ἐς δόμον ἵκει*, σ 352. Homerus semper *ϑεῶν* sive *ἀθανάτων ἀέκητι* dixit, velut α 79. γ 28. ζ 240. *M* 8. *O* 720 rell. — *Ἕκητι* cum genetivo constructum, *Ἑρμείαο*, ο 319. *Ἀπόλλωνος*, ε 86. *Διός*, υ 42. Deorum gratia, volentibus diis, nam de diis tantummodo usurpatum est. Extat etiam apud Hes. Opp. 4, Pindarum et Tragicos, qui formam *ἕκατι* adhibent, de qua cf. Blomfield. gloss. Aesch. Pers. 345, Buttm. gr. gr. §. 27 n. 16. Homericum est *ϑεῶν ἰότητι*. De formatione huius adverbii, vel quicquid est, disputavit Apoll. Dysc. p. 497. — *Ἐνωπαδίως*, haec enim lectio quam Apollonii Rhodii *ἐνωπαδίς*, IV, 340. 1415 et Quinti Smyrnaei *ἐνωπαδόν*, II, 84 tuentur, alteri *ἐνωπιδίως* praeferenda videtur, ψ 94: *μὶν ἐνωπαδίως ἐσίδεσκον*. Formulae Homericae sunt *εἰς ὦπα ἰδέσθαι τινί* sive *εἰς ὦπά τινος ἰδέσθαι*. Praeterea ipsum *ἐνωπῇ* adverbii loco usurpatum a poeta, *E* 574. *Φ* 510. — *Εὐφραδέως*, τ 352: *μάλ' εὐφραδέως πεπνυμένα πάντ' ἀγορεύεις*, pro quo Homerus *ἐπισταμένως* dicit ε 25. λ 368. Omnino vocabula *φραδής*, *ἀριφραδής*, *ἀριφραδῶς*, *κακοφραδής* in recentioribus tantum carminibus, contra *φράδμων*, *συμφράδμων*, *ἀφραδής* cum derivatis, *περιφραδῶς* etiam in genuinis extant. — *Κατάντηστι* ex adverso υ 387. *Κάταντα* est in ψ 116. Utrumque valde suspectum. Adiectivum enim *κατάντης* Atticum est. Apud Homerum simplex tantum *ἄντα* invenitur, quod una cum *ἀντικρύ* idem notat quod *κατάντηστι*. — *Κρύβδην*, λ 454. π 153, *κρυφηδόν* opp. *ἀμφαδόν*, ξ 330 et *κρύβδα* Σ 168.

Ῥυδόν abunde, satis, magno opere, id quod Homerus expressit per *μέγα, μάλα*. *ῥυδὸν ἀφνειοῖο*, ο 426, cf. § 116.

Hic autem vocabulorum numerus valde augeatur necesse est, modo paullo liberius fines concesseris ac rationes, quibus nova vocabula aliorum in locum successisse statuendum sit. Ad eundem enim ordinem praeter ea refero: *Ἀλέη*. in *X* 301 sicut in Hes. Opp. 543 est evitatio. Eadem igitur contra hoc vocabulum valebunt, quae contra *ὑπάλυξις*. At ρ 23 significat solis aestum, videturque cum *ἕλη, εἵλη, ἥλιος* cohaerere. *ἀλέα, ἀλεάζω, ἀλεαίνω* vocabula sunt Attica. — *Ἐπαμύντωρ*, π 263 *ἐσθλὼ ἐπαμύντορε* abunde dictum pro *ἐσθλὼ ἀμύντορε*. Nam *ἐπαμύνειν* est fortiter aliquem defendere, *ἐσθλῶς τινα ἀμύνειν*. Notum est praeterea *ἀρωγός*. — *Ἐπιίστωρ*. Auctor rhapsodiae φ v. 26 Herculem *μεγάλων ἐπιίστορα ἔργων* nominat, h. e. *μεγαλουργὸν, ἐπὶ μεγάλοις ἔργοις ἱστορούμενον, ἐπιστήμονα*. Gepperto hoc vocabulum videtur ortum esse e versu Iliadis Σ 501 *ἄμφω δ᾽ ἱέσθην ἐπὶ ἵστορι πεῖραρ ἑλέσθαι*. Certe mira ei inest vis praepositionis *ἐπὶ*, collatis *ἐπίουρος, ἐπιβουκόλος, ἐπιβώτωρ*, aliis. — *Ἐπιστάτης*, ρ 455. Notat mendicum, idem igitur quod *δέκτης*, δ 246 et *πτωχός* reliquis in locis. — *Εὐδικίαι*, τ 111 ubi sermo fit de bono rege iuris observantiam sustentante. Homericum est *δίκη*, itaque de Sarpedone qui aequa administratione et virtute regnum Lyciae servavit, in *Π* 542 dictum est *ὃς Λυκίην εἴρυτο δίκῃσί τε καὶ σθένεϊ ᾧ*. Praeterea *ἀδικέω* primum extat in hymn. Cer. 367, *ἀδικία* vero non legitur nisi apud Herodotum Atticosque scriptores. *εὐδικίῃ* apud Apoll. Rhod. IV 342 est iure. — *Δρέπανον*, falx σ 367. *δρεπάνη* in Σ 551, sed hoc nullius fere momenti. — *Δρύοχοι* ligna infixa carinae navis et erecta ad latus, quibus deinde affigantur tabulae, Damm. Lex., Scholl., Eust., quae nobis vocantur die schiffsrippen. Ab Homero *σταμῖνες* vocata sunt in ε 252, *δρύοχοι* in τ 574. Alii aliam vocabuli interpretationem et etymologiam protulerunt grammatici, velut ipse Eustathius, *πάσσαλοι ἐφ᾽ ὧν στοιχηδὸν διατεθειμένων ἡ τρόπις ἵσταται τῶν καινουργουμένων πλοίων*, cuius verba breviavit auctor Lexici Platonici, *στήριγμα τῆς πηγνυμένης νηός*. Atticis e priore significatione *δρύοχοι* proverbii loco de cuiusvis rei fundamentis dicuntur. — *Θυοσκόος*, φ 145. χ 318. 321. Colligendum fortasse ex *Ω* 221 *θυοσκόον* diversum fuisse a *μάντει* et *ἱερῆι*. Eustathius duas huius vocis etymologias exhibuit, alteram scholiastis quoque notam, *ἀπὸ τῶν θυομένων κοῶν, ὅ ἐστι νοῶν καὶ διὰ πυρὸς μαντευόμενος. κοάω* autem, quod verbum effinxisse omnino sibi videntur grammatici, tamquam etymon verbi *μακκοάω* et similium, apud Homerum certe non extat. Alteram probabiliorem quidem, sed vereor num rectam propter *καίω, καῦμα, καυστειρός, καυστός* — *θυοσκόος ὁ θύτης ὁ τὰ θύη κέων ἀπὸ*

τοῦ κέω, vulgo *καίω* dicti. — *Ληίστωρ* praedator, *ο* 427. *ληιστήρ*, *γ* 73. *ι* 254. *ξ* 224. *π* 426. *ρ* 425. Alterum huius paraschematismi exemplum exhibet *δωτήρ*, *ϑ* 320 et *δώτωρ* ibidem v. 335. — *Μεσοδμή*, *σ* 289. *τ* 37. *υ* 354. In priore loco magnam trabem notat pertusam, cui malus ima in nave inseritur, idem igitur quod *ἱστοδόκη*. Reliquis in locis *καλαὶ μεσόδμαι* de aedibus dictae sunt, quarum tres explicationes attulerunt Eustathius et scholia. Aristarcheam primam, quam Hesychius quoque exhibet, *τὰ μεσόστυλα* columnarum interstitia: secundam *τὰ μεταξὺ τῶν δοκῶν*, trabum in lacunari interstitia, ornata fortasse picturis: tertiam denique *διαφράγματα ἢ καὶ διαστήματα μεταξὺ τῶν κιόνων, οἵ φασι, περὶ τοὺς τοίχους ἦσαν*, spatia inter parietes et columnas in conclavi, ab ipsis aliquanto remotiores, si quidem recte grammatici verba intellego. Hippocrati *μεσόδμαι* brachia librae sunt, interstitia inter examen et funes quibus lances alligantur. Ortum est vocabulum per syncopen e *μεσοδομή* sicut *εὔδμητος*, *ϑεόδμητος*. — *Πείνη* pro *λιμός*, *σ* 407. Sed *πεινάω* verbum Homero admodum frequens. — *Προΐκτης*, *ρ* 352. 449. de hoc vocabulo idem quod de *ἐπιστάτης* valet. — *Ταρβοσύνη*, *σ* 341 pro *φόβος*. *τάρβος* *Ω* 152. 181.

Αἰνοπαϑής gravia patiens, miser, *σ* 200. Quia Homerus semper dixit *πολλὰ παϑών*, *κακὰ πολλὰ παϑών*, auctor rhapsodiae *χ*, qui v. 431 formulam usurpavit *αἰνὰ παϑών*, magis dictionem Homericam secutus est, quam qui adiectivum *αἰνοπαϑής* formavit. — *Ἀρισφαλής*, *ρ* 196: *ἀρισφαλέα ὁδόν. τραχεῖαν καὶ πάνυ σφάλλουσαν, ὡς κινδυνεύειν πίπτειν τὸν ὁδεύοντα*. Homerus *στενωπὸς ὁδός* vel *ὁδός παιπαλόεσσα* dixit, vel *τρηχεῖα ἀταρπός*, *ξ* 1. — *Ἀρτίφρων*, *ω* 261: *οὔτι μάλ᾽ ἀρτίφρων* ne satis quidem acutus. Convenire videtur hoc adiectivum cum uberiore formula in *E* 326: *ἔτιεν αὐτὸν ὅτι οἱ φρεσὶν ἄρτια ᾔδη*. Formationem et significationem vocabuli tuetur analogia adiectivi *ἀρτιεπής* quamquam hoc tantum in *χ* 22. 821 extat. Notat dextrum verbis sed paullo fraudulentiorem. — *Εὐκαμπής*, *σ* 337: *δρέπανον εὐκαμπές*, *φ* 6: *κληῖδ᾽ εὐκαμπέα* pro quo *σ* 293 *κληῖσιν εὐγνάμπτοις* dictum est, id quod magis ad dictionem Homeri accedere videtur, qui a *γνάμπτω γναμπτός*, a *κάμπτω* vero *καμπύλος* formavit. — *Κακοείμων* male vestitus *σ* 41. Homerus dicit: *κακὰ χροΐ εἵματ᾽ ἔχων* *ξ* 506, *κακὰ χροΐ εἵματα εἶται* *λ* 190, *λυγρὰ δὲ εἵματα ἕσσε περὶ χροΐ* *π* 457 et similia. Tamen in *γ* 348 extat *ἀνείμων*. — *Κατηφής*, *ω* 432: *ἦ καὶ ἔπειτα κατηφέες ἐσσόμεϑ᾽ αἰεί*. Habet Homerus duas formulas *κατηφείη μοί ἐστι*, vel *κατηφείη εἰμί τινι*. — *Λυσιμελής* epitheton somni, *ὕπνος λύων μελεδήματα ϑυμοῦ λυσιμελής*, *υ* 57. *ψ* 343. Vertendum est somnus curas depellens, non sicut aliis placet, membra resolvens. Ceterum neque a *μελέω* neque a *μέλος* Homero formatur adiectivum

μελής. Eadem formula omisso tamen *λυσιμελής* redit in *ψ* 62. *απήμων* autem, ut alia etiam frequentiora eius epitheta omittam, somnus vocatur in *Ξ* 164. — *Φιλοπαίγμων*. *φιλοπαίγμονος ὀρχηθμοῖο* *ψ* 134, cf. Hes. frg. 13, 3. Notare videtur iocosum, amoenum, egregium. Fere eodem significatu aliis in locis saltatio ab Homero *ἀμύμων* vocatur *N* 367. *Ψ* 145. inde vero, quod *παῖγμα* apud Homerum non extat, nihil contra huius adiectivi auctoritatem profero. Nam adiectiva in *μων* interdum etiam a verbis derivantur, cf. Buttm. gr. gr. II p. 451. — *Φοίνιος*, *σ* 96: *φοίνιον αἷμα*. Forma vetustior magisque Homerica *φοινός* esse videtur, cf. *Π* 159. h. Apoll. 362. — *Φοινικοπάρῃος*, *λ* 123. *ψ* 272 idem quod *μιλτοπάρῃος*, quamquam hoc de Ulixis tantum navibus usurpari observavit Apollonius s. v. *φοινήεις*, de dracontis colore extat in *M* 202. 220. Reliqua adiectiva cum *φοινικο* composita Pindarica sunt et Attica. — *Χαλκοβαρής*. *ἰὸς χαλκοβαρής*, *φ* 423 et *O* 465 quem locum pro interpolato habeo. *δόρυ χαλκοβαρές*, *λ* 532 est hasta aere gravis, cuspide ahenea magni ponderis munita. *Δ* 96 *χαλκοβάρεια* vocatur *στεφάνη*, *X* 328. *χ* 259. 276 *μελίη*. Hoc autem pertinet ad *χαλκοβαρός*, quod vero nunquam legitur, cf. Lobeck. Phryn. 538. contra *α* 262 legitur *ἰοὺς χαλκήρεας*. *χαλκήρεα ὀιστόν*, *N* 650. 662. *χαλκῆρες δόρυ* saepissime in Iliade, quod scholiorum auctores non aliter quam *χαλκοβαρές* interpretantur *τὸ ἀρηρὸς χαλκῷ*.

Δαιδάλλω, *ψ* 200. *Σ* 479 saepiusque apud Pindarum. Dixisset Homerus his quoque locis *ἐντίθεσθαι δαίδαλα*, cf. *Ξ* 179. *E* 60. — *Ἐντανύω*, *τ* 557. 587. *ω* 170. octies in rhapsodia *ρ*. *ἐντανύειν βιόν, νευρήν, βιοῖο νευρήν, τόξον* pro quibus elegantius dicitur *Δ* 123: *νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον*, aliis in locis simplicia *τανύω* vel *τιταίνω* usurpantur. Sed dictum est iam supra de hoc verbo. — *Ἐφευρίσκω*, *τ* 158. neque hoc neque *εὑρίσκω* verba Homerica sunt qui modo aoristos *εὗρον* et *ἐφεῦρον* novit. — *Πτωχεύω*, *ο* 309. *σ* 2. *ρ* 11. *τ* 73. Homericum est *αἰτέω, αἰτίζω*, quamquam vel haec verba mendicandi notione in posteriore demum Odysseae parte leguntur. — *Σκηρίπτομαι*, *λ* 393. *ρ* 196 pro *σκήπτομαι* *Ξ* 457, cf. *ρ* 303. 338. *ω* 159. — *Συνθέομαι*, *υ* 245: *οὐχ ἡμῖν συνθεύσεται ἥδε γε βουλή* non procedet nobis hoc consilium, quasi latine dixeris, non curret nobiscum hoc consilium. Apud Homerum *βουλὴ τελεῖται*. — *Ὑπεροπλίζεσθαί τινα*, *ρ* 268. Homerica sunt *ὑπερηφανέω* et *ὑπερηνορέω*. cf. *ὑπέροπλον εἰπεῖν*. *O* 185. *P* 170. — *Ὑπάρχω*, *ω* 268. remuneratoria dona accipere convenit ei *ὅστις ὑπάρξῃ* h. e. *προσκατάρξηται*, ut scholia interpretantur. Redit apud Pindarum hoc verbum. Homero autem incipere vel *ἐξάρχειν* est, vel *ἄρχειν*, nam *ἀπάρχεσθαι*, *ἐπάρχεσθαι*, *κατάρχεσθαι* de rebus sacris tantum usurpantur. — *Χανδάνω*, *ρ* 344: *ὥς οἱ χεῖρες*

ἐχάνδανον. Ψ 742: κρητὴρ ἓξ μέτρα ἐχάνδανεν. Referuntur vulgo ad hoc verbum formae κεχάνδει, Ω 192. κεχανδώς Ψ 268. σ 96. χείσεται, σ 17. h. Ven. 252. ἔχαδε Δ 24. Θ 461. χαδέειν Ξ 34, contra χάνοι Δ 182. Θ 150. Ρ 417, χανών Π 350. Υ 168. μ 350, ἀμφέχανε Ψ 79 ad χαίνειν quod ipsum quidem nusquam legitur, sed pro praesente harum formarum recte haberi potest. Itaque in his quoque locis dicendum erat ἔχαδον, ἔχαδεν. — Ξαίνω, χ 423: ἔρια ξαίνειν, lanas pectine carpere. in Γ 388 est εἴρια ἀσκεῖν, in σ 318: εἴρια πείκετε χερσίν. Quia a ξαίνω derivandum est ξανθός, Homero de splendidis speciosisque comis satis usitatum, non est cur in hoc vocabulo aliquis offendat. Cohaeret cum ξέω et similibus.

Ἐξαναφανδόν, υ 48 nihil aliud significat quam ἀναφανδόν quod in Iliade Π 178 et ἀναφανδά quod saepius in Odyssea extat. Item καθάπαξ semel pro ἅπαξ positum est φ 349. — Χανδόν hiante ore, φ 294 ubi de vino sermo est, quod pleno rictu potum nocet. Pro adverbiis Homerus participia χανών vel κεχηνώς usurpat.

CAPUT TERTIUM.

Apparet autem multa ex iis vocabulis, quae ultimo loco recensui, movere quidem novae originis suspicionem, sed nullam nisi parvam, ita ut fortasse alii ordini inseri potuissent. Sed sint ea. Iam enim disputatio nostra ad finem pergit atque ultimo loco ea vocabula illustranda sunt, quorum etyma in recentioribus tantum aut interpolatis Homericorum carminum partibus inveniuntur. Quae cum pauca tantum sint numero, uno conspectu omnia proponantur, nullis iterum dispersa paragraphis. Unum huic ordini inest vocabulum, quod aliqua iustae novitatis specie excusari possit, λιστρεύω, ω 227. Praeterea huc faciunt:

Αἱμοφόρυκτος, υ 348 syncopatum ex αἱματοφόρυκτος sicut αἱμοβαφής, αἱμόρρυτος, αἱμόφορτος quorum nullum apud Homerum extat. Idem est quod αἱματόεις, αἵματι πεπαλαγμένος. cf. φορύνω. p. 144.— Ἀεσιφροσύναι, ο 470, fere contrarium σαοφροσύνης, levitas animi. ἀεσίφρων, de quo cf. Benfei Lex. Etym. I p. 263, extat Υ 183. Ψ 603. φ 302. Redit hoc vocabulum apud Hes. Theog. 502. Apollin. Ps. CXVIII, 156. — Ἀλετρίς, υ 105 γυνὴ ἀλετρίς ibique v. 109 ἀλέω et ἄλειαρ. Sane etiam hoc vocabulum iusta novitate excusari me non refragante aliquis censeat. Tamen notandum est adiectiva feminina in ις, de adiectivis in τις dictum est s. v. δασπλῆτις, apud Homerum formari ab adie-

ctivis tantum in $\overline{ος}$ vel $\overline{ιος}$ exeuntibus, quemadmodum *βασιληίς* a *βασιλήιος*, *θοῦρις* (quidni *θουρίς*? cf. Buttm. gr. gr. §. 119 p. 425) a *θοῦρος*, *πατρίς* a *πάτριος*, *εὐπλοκαμίς* ab *εὐπλόκαμος*. *ἀλετρίς* igitur derivandum aut ab *ἀλετρός* aut ab *ἀλέτριος*. Sed neutra forma Homerica est. Porro si recentiores Odysseae libros spectamus, huic quidem observationi optime conveniret *ἁπλοίς*, ω 276. Ω 230, nisi *ἁπλοῦς* ab Homero alienum esset. Repugnat autem *χλωρηίς*, τ 518: *χλωρηὶς ἀηδών*, quia *χλωρήιος* nusquam invenitur, a *χλωρός* autem femininum *χλωρή* formatur. *χλωρηίς* igitur forma suspecta est. — *Γενειάω* pro *ἡβάω*, σ 176. 269. cf. *γενειάς* p. 134. — *Δειελιάω*, ρ 599: *σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας* h. e. *πρὸς δειλινὴν ὥραν γενόμενος*. cf. *δείλη* p. 130. — *Ἡσυχίη*, σ 22. *ἡσύχιος* nisi in Φ 598 apud Homerum non extat, *ἥσυχος* Hesiodeum est. — *Κακοεργίη*, χ 374. *κακοεργός* est in σ 54. cf. *ἀεργίη* p. 129. — *Ὁδοιπόριον*, ο 506, convivium quod Telemachus sociis voluntariis mercedis loco pro comitatu in itinere pollicetur, *μισθὸς ἢ ἀμοιβὴ ὑπὲρ τοῦ πλεῦσαι*. *ὁδοιπόρος* unice extat Ω 375, pro quo Homerus, cui nomina in *πορος* exeuntia, cf. *ἔμπορος*, *εὐρυπόρος*, *ὠκυπόρος*, *ποντοπόρος* adiectivam tantum notionem habent, *ὁδίτης* dixit. Porro sicut in *τὰ θρέπτρα*, *τὰ μέλπηθρα* aliisque pluralem numerum expectamus, de quo supra monui s. v. *ἐπίβαθρον*. — *Ὁμηγυρίζω* π 376. *ὁμηγυρίζεσθαι εἰς ἀγορήν* in concionem convocare pro Homerico *ἀγορήνδε καλέειν*. *ὁμήγυρις* Υ 142. — *Ὅρμος*, *Ὁρμαθός*. cf. *εἴρω*. — *Ῥυστακτύς* σ 224, *ὁ βίαιος ἑλκυσμός* a *ῥυστάζω* π 109. υ 319. Ω 755. — *Σηκοκόρος*, ρ 224, purgator stabuli, a *κορέω* verro, purgo et *σηκός* ι 219 stabulum, quod veteribus grammaticis derivatur a *στήκω* et dictum est pro *στηκός*. — *Ὑποδρηστήρ*, ο 330 ab *ὑποδράω*, ο 333. Homerus habet *δρηστήρ* et *ὑποδμώς*.

Eundem ad ordinem sine dubio haec quoque vocabula referenda sunt: *Ἀκμηνός*, ψ 191 ex Aristarchi sententia diversum ab *ἄκμηνος*, ieiunus, quod Τ 163. 207. 320. 346 extat. Scholl.: *ὁ ἀκμὴν ἔχων τοῦ θάλλειν*, neque aliter Benfeius statuit, Lex. Etym. II p. 339. Sed *ἀκμή* apud Homerum non invenitur, nisi in interpolata Iliadis parte, Κ 173. — *Πριστός*, σ 196. τ 564. *νεόπριστος* θ 404, quo loco maiorem aliquam interpolationem factam esse facile evinci potest. *Πρίω* et *πρίζω* verba sunt Attica. Itaque proprie hoc vocabulum ad alium ordinem referendum fuit. — *Ὑλακτέω*, υ 13. 16. et in interpolata Iliadis parte, Σ 586. cf. *ὑλάω*.

Quinque praeterea sunt nova verba quae quasi singularem ordinem constituunt: *Ἀμφιπολεύω*, σ 254 (τ 127) ubi Penelope de absente marito loquitur: *εἰ κεῖνος γ' ἐλθὼν τὸν ἐμὸν βίον ἀμφιπολεύοι*. υ 78: *τόφρα δὲ τὰς κούρας ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο καὶ ῥ' ἔδοσαν στυγερῇσιν ἐρινύσιν ἀμφιπολεύειν*. In utroque loco huic verbo patrocinandi, custo-

diendi, servandi notio inesse videtur. accedunt ω 244. 257, ubi Laertes ἀμφιπολεύει ὄρχατον. Sed miramur hanc tutandi et curandi, quae Homericis ἀμφιβέβηκα, ἀμφιπένομαι inest, pro serviendi notione. Nam derivandum est vocabulum ab ἀμφίπολος. Eustathii nota ad υ 78: τὸ δὲ ἀμφιπολεύειν οὐκ ἐξ ἀνάγκης δουλική ἐστι λέξις. τί γὰρ σεμνὸν ταῖς θεοφιλέσι κόραις τὸ δούλαις γενέσθαι; ἀλλ' ἁπλῶς τὸ συμπεριοδεύειν δηλοῖ, parum nos iuvat. — Ἀναφράζομαι, τ 391: μὴ οὐλὴν ἀναφράσσαιτο ne cicatricem agnosceret. Agnoscere autem Homero est ἀναγνῶναι. Contra φράζομαι est delibero, dispicio. Itaque ἀναφράζομαι iterum dispicio. — Ἐκδέω, χ 174: σανίδας δ' ἐκδῆσαι ὄπισθεν. Ψ 121: τὰς (δρῦς) μὲν Ἀχαιοὶ ἔκδεον ἡμιόνων, ubi scholia habent τὸ ὄπισθεν χρονικῶς ἀντὶ τοῦ μετὰ ταῦτα τὰς σανίδας — δήσαντες, ἐξελθόντες καὶ ἐάσαντες αὐτὸν ἐρριμμένον et brevius ὄπισθεν κλείσατε τὰς θύρας μετὰ ταῦτα. Proprie ἐκδέω nihil aliud significare potest, quam ita alligare aliquid, ut dependeat, quae interpretatio Iliadis loco convenit, alteri prorsus repugnat, ubi dicendum erat σανίδων ἐκδῆσαι ἱμάντα vel simile quidquam. Passovii interpretatio, die thuer fest verschliessen, destituta est analogia dictionis Homericae. — Ἐπιπρέπω, ω 252: οὐδέ τί τοι δούλειον ἐπιπρέπει εἰσοράασθαι εἶδος καὶ μέγεθος, h. e. servi adspectum non praebes, nostrum es steht dir nicht zu gesicht, als ob du ein sklave waerst. De hac significatione disputaverunt Hermann. de metr. Pind. p. 289 sq. Boeckh. Pind. Pyth. VIII, 46 (τὸ γενναῖον ἐκ πατέρων λῆμα ἐπιπρέπει παισίν). πρέπω apud Homerum semper adhibetur in describenda re conspicua et egregia. — Περιδίδοσθαι, ψ 78: ἐγὼν ἐμέθεν περιδώσομαι αὐτῆς, cf. Ψ 485: δεῦρό νυν, ἢ τρίποδος περιδώμεθον ἠὲ λέβητος, ubi scholia περὶ ἐμαυτῆς συνθήσομαι, nostrum ich will mich selbst verpfaenden, de me ipso tecum sponsionem faciam. Haec notio huius vocabuli inprimis Aristophani usitata est. Homero autem activum περιδιδόναι notat, larga dona dare alicui, vel largiter dare alicui aliquid, cf. θ 44. Haec autem verba cum talia sint, quorum etyma apud Homerum inveniantur, proprie secundo ordini inserenda fuissent. Sed quia inter eorum notionem et etymorum parum convenit, hoc demum in loco a me illustrata sunt, quo quasi transitum in aliam commentationem faciunt in qua de notione et structura reliquorum vocabulorum disputandum esset et anquirendum, num quid hac ex parte inter priores et posteriores Odysseae rhapsodias, in quibus eadem usurpantur vocabula, intersit et quantum.

Sed haec longius absunt a proposito. Iam restat ut in fine commentationis summam paucis verbis comprehendam et breviter indicem quid disquisitione mea assecutus mihi esse videar. Atque res ita se habet. Censuit Geppertus secundam Odysseae partem inde a rhapsodia

decima quinta v. 193 recentiore aevo esse ortam quam primam, id quod ex argumenti natura et e mira compositionis ratione satis ingeniose demonstrare conatus est, in eo tamen falsus, quod eadem argumentatione omnia condemnavit, neque multum interesse vidit inter ipsa carmina quae in unum corpus redacta sunt et diasceuastarum additamenta et interpolationes. Censuit praeterea haud paullum confirmari suam sententiam ex elocutionis diversitate, qua secunda pars a priore recederet.

Iam ego ita perstiti in hoc disputationis puncto, ut novorum vocabulorum et ἅπαξ εἰρημένων quae in secunda parte inveniuntur amplissimum recenserem numerum: quorum alia sane recentiorem originem manifesto produnt, alia parvas tantum dubitationes movent, alia denique omni vacant suspicione. Sed vocabula re vera suspecta, utrum in interpolatis tantum versibus inveniantur iisve quos perverso diasceuastarum studio debemus, an etiam in iis carminibus, quae antequam ipsi Odysseae corpori insererentur, seorsim olim extitisse ostendi: et quanto numero unicuique horum versuum generi insint: ex nostra commentatione ipsi videant lectores simulque perpendant, utrum in Gepperti sententiam abire velint necne, quam prorsus neglegere perversum est, omni ex parte probare, non rectum. Ceterum valeant lectores nostrisque studiis aeque beneque consulant, memores, nos in conscribendo libello non docere voluisse, sed discere.

INDICES.

INDEX RERUM.

INDEX VERBORUM.

Typis impressit J. B. Hirschfeld.